DE
CALLIMACHI AETIIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS LANGE
PRAGENSIS

LIPSIAE
TYPIS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXXXII.

Caput primum.

Quae **Schneiderus** primum in prolegomenis a. 1851 editis, deinde in eius operis, quod Callimachea inscripsit, secundo volumine edito a. 1873 de Callimachi aetiis disseruit, impugnata quidem a viris doctis et ex parte reiecta sunt; velut illam de Cyrenaeo Hygini fonte sententiam **Rauchius Rohdius Diltheyus**[1]) uno omnes consensu refellerunt. Sed cum et hanc ipsam viri docti non per singula, quae attulit Schneiderus argumenta, perstrinxerint, et alia, quae haud equidem veriora esse puto, non modo non reiecerint, sed etiam assensu suo atque auctoritate confirmaverint, non alienum duxi omnes Schneideri de aetiis sententias denuo et id quidem accurata in singulis opera perlustrari, ut eo magis perspicue, quae revera de illo poemate sciri possint, eluceat.

Atque ut primum eam examinemus sententiam, quae etiam **Rohdio** et **Diltheyo**[2]), placuit, affirmavit **Schneiderus**, praeter aetia fere nullas[3]) Callimachi elegias atque hoc ipsum id fuisse opus, quo principatum elegiaci generis Cyrenaeus

---

1) **Rauch**, die Fragmente der Aitia. Rastatt 1860. p. 5; **Rohde**, der griechische Roman p. 85 et 86; **Dilthey** in Neue Jenaer Literaturzeit. Vol. I. 1874. p. 576 sqq.

2) **Rohde** l. l. p. 89 in adn.: „Wenn Kallim. als tener poeta den Liebenden empfohlen wird, so wird doch sicherlich an seine Elegieen, d. h. an seine Αἴτια, zu denken sein". **Dilthey**, de Callimachi Cydippa p. 75. **Rauchius** (p. 9) concedit Schneidero nullas fuisse Callimachi elegias amatorias, sed dissentit eo, quod epigrammatis potius quam aetiis elegiaci poetae laudem Callimachum assecutum esse affirmat, qua de re infra disseramus.

3) Praeter ἐπινίκιον ἐλεγειακὸν εἰς Σωσίβιον et πλόκαμον Βερενίκης et Γάμον Ἀρσινόης et si quas alias elegias oblata solemni aliqua occasione poeta scripsit (Call. II p. 39).

adeptus esset. Impugnat igitur eorum sententiam, qui praeter aetia etiam molles, qui dicuntur, elegos composuisse Callimachum certis usi argumentis statuerunt.[1]) Ipse vero quae protulit argumenta, satis infirma esse videbis.

Primum est, quod 'versum videmus e tertio aetiorum libro laudatum, quem e Callimachi Cydippa, elegiaco argumento, ut fatentur omnes, depromptum esse certum est'. At eo, quaero, quid comprobatur? etenim valet argumentum ad hoc demonstrandum, fuisse Cydippam similesque fortasse elegias in eo numero, cui nomen Αἴτια inscriptum fuit; at vero non adeo valet, quo comprobetur non fuisse alias Cyrenaei elegias, quae ad Αἰτίων libros non pertinerent.

Alterum argumentum repetivit Schneiderus e Suida II 1 p. 697, ubi narratur Marianum, qui imperante Anastasio floruit, fecisse iambicam μετάφρασιν Καλλιμάχου Ἑκάλης Ὕμνων καὶ τῶν Αἰτίων καὶ τῶν Ἐπιγραμμάτων. Addit vir doctus: 'hoc si quis Suidae crediderit, nonne statim eo inclinet, ut Αἰτίων nomine putet elegias esse comprehensas? An praestiterit ita putare elegias, quo in genere Callimachum principem fuisse Quintiliano[2]) credere par est, Marianum noluisse μεταφράζειν, hymnos libenter voluisse, quibus pretium non est?' Ne id quidem argumentum ad probandam Schneideri sententiam ullo modo sufficit. Etenim quid scriptor multis a nostro tempore saeculis remotus voluerit quidque idem noluerit, nobis non iam licet diiudicare nisi certae innixis memoriae fundamento. Marianus qualis fuerit, cuius voluntatis, cuius in eligendis eis quae tractaret iudicii, nescimus. Unde igitur colligamus eius eum iudicii fuisse, ut, si scripsisset Callimachus elegias amatorias, ipse eas tractaturus fuerit? Quod nisi certis stat argumentis, etiam conclusio, inde quae facta est, humi iacet; nec concedendum eo, quod amatorias elegias Marianus nullas verterit, effici, nullas ut scripserit Callimachus.

Venimus ad tertium Schneideri argumentum. Cuius vis

1) Velut Hertzbergius, qui omissa omni de ea re dubitatione id potius quaerit, utrum unam an plures poeta amicas elegis celebraverit (Quaest. Prop. lib. II cap. VII p. 209).

2) Inst. Orat. X 1, 58 tunc et elegiam vacabit in manus sumere, cuius princeps habetur Callimachus.

cum tota pendeat ex interpretando Propertii carmine II 34, pauca de eo placet praemittere. Primum valde equidem miror Caspari Barthii[1]) de dissecando hoc carmine et in duas peculiares elegias dividendo ab omnibus adhuc viris doctis uno Baehrensio excepto esse spretam. Nam versus 23 et 24[2]), quibus poeta priorum quasi summam facit et generali addita sententia pronuntiat, quam in futurum tempus normam sibi proposuerit, tam manifesto clausulae speciem prae se ferunt, ut ultra eos poetam continuare carmen voluisse non sit credibile.[3]) Iam sententiarum nexus eius, quam peculiarem cum Barthio et Baehrensio statuimus, elegiae hic est: Magnopere laetor, te quoque, Lynceu, tandem aliquando amoris ignibus esse correptum ('Lynceus ipse meus seros insanit amores, Solum te nostros laetor adire deos'.)[4]) Nam hoc in discrimine intelleges nihil tibi prodesse, quae in excogitandis rerum rationibus et in legenda imitandaque epicorum et tragicorum[5]) poesi collocasti studia ('Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris Proderit aut rerum dicere posse vias' . . . 'Desine et Aeschyleo componere verba cothurno' ... 'Tu non Antimacho non tutior ibis Homero'). An putas Socratico sermone vel carmine Homerico puellas te redditurum ad Venerem prolixas? Immo amatoria scribenda sunt carmina ('Inque tuos ignes, dure poeta, veni'), quibus exagitentur puellarum animi et ad

1) Adversaria lib. XXV c. IV p. 1218 sq.

2) Sed numquam vitae me fallet ruga severae | Omnes iam norunt, quam sit amare bonum.

3) Quod igitur Hertzbergius (Quaest. Prop. II 5 p. 95) posse diversas partes a poeta unius carminis ambitu contineri contendit, nihil ad rem est; neque enim id offendit, quod v. 25 novus incipit sententiarum ordo, sed quod qui antecedunt versus ita sunt comparati, ut ultra eos continuatum iri carmen nemo lector suspicari possit.

4) Ceterum miror Barthium voce 'deos' Musas significari velle, quod prorsus alienum a sententiarum nexu est; nam id ipsum obicit Propertius amico, quod adhuc non adiit suas Musas, i. e. non eidem carminum generi operam dedit atque ipse. Intellegendi sine dubio Amor et Venus.

5) Itaque perversa Baehrensii coniectura, qui v. 5 scribit: 'Aut quid *nunc Tei* tibi prosunt carmina lecta'; nam absonum est Anacreontem lyricum despici a Propertio, cum id ipsum sit carminis consilium, ut ad imitandos lyricos adhortetur Lynceum.

amorem incendantur ('Harum nulla solet rationem quaerere mundi, Nec cur fraternis Luna laboret equis, Nec si post Stygias aliquid restabimus undas, Nec si consulto fulmina missa tonent. Aspice me . . . . Ut regnem mixtas inter conviva puellas'). Ultimi enuntiati sententiam versibus edidit poeta hisce (31 sq.):

Tu satius Musis memorem imitere Philetam
Et non inflati somnia Callimachi.[1])

Iosephus Scaliger ita locum interpretatus est, ut particulam 'non' ad verbum 'imitere' referendam censeret.[2]) Contra qui postea de eo loco sententiam tulerunt, velut Hertzbergius[3]) et ipse Schneiderus, ad vocem 'inflati' negationem referunt. Fingunt igitur poetam suadentem Lynceo, ut talia condat carmina, qualia in Αἰτίων libris — nam ei voce 'somnia' significantur[4]) — Callimachus ediderit. Atque ita si revera locus intellegendus esset, concedendum esse videretur etiam ceteris locis, quibus poeta Callimachum laudibus effert, aetia significari atque ipsa ea in causa fuisse, cur elegiaco in genere princeps Cyrenaeus haberetur. At videntur viri docti non satis respexisse, quem ad finem Propertius Lynceum eis, quae illis versibus continentur, adhortatus sit. Videntur nimirum ita locum intellexisse, ut poetam Αἴτια potius solacii causa legenda quam amoris incitandi causa imitanda commendare putarent. Velut Hertzbergius verba facit haec: 'Vides igi-

1) Haec lectio optimorum codicum; in qua maxime offendit 'memorem', quod ex metrica ratione ferri omnino non potest. Itaque varie locus a viris doctis vexatus, quorum coniecturarum nulla placet. Minime Baehrensii, qui scribendum censuit:

'Tu gravibus Musis meliorem imitere Philetam'.

Multo melius, quod quidem ad sensum attinet, Santenus coniecit: 'Tu satius Musam *leviorem* imitere Philetam'; quae tamen coniectura nimium, videtur, a tradita scriptura differt.

2) Catulli Tib. Prop. nova editio 1600 p. 233: 'non inflati somnia Callimachi' haec aliter accipit volgus ac voluit Propertius. Ipsi putant a Propertio hic Callimachum laudari, quod eum non inflatum vocaverit. Ego contra inflatum eum vocari aio ac propterea non laudari . . . Ait igitur: Tu melius feceris, si Philetae amores quam si obscurissimum Callimachi aetia imiteris.

3) Quaest. Prop. II c. VII p. 195.

4) Anthol. Pal. VII 42; vide infra p. 7.

tur non amatoria solum carmina saucio amico commendari, quibus *amorem suum consoletur*, sed etc.'. At non est apud Propertium verbum consolandi, immo imitandi; imitatus αἴτια dicitur — si recte Hertzbergius ceteri interpretantur — Lynceus commoturus esse puellas, ut amoris officium libenter sibi praestent. An tu putas tali carmine, quale fuerunt aetia, omnino id posse effici? Obstat Martialis epigramma X 4 [1]), quo aetia ut obscura et a rebus humanis aliena respuuntur. Obstat Clem. Alex. Strom. II 8 p. 676 Pott.: Εὐφορίων ὁ ποιητὴς καὶ τὰ Καλλιμάχου Αἴτια καὶ ἡ Λυκόφρονος Ἀλεξάνδρα καὶ τούτοις παραπλήσια γυμνάσιον εἰς ἐξήγησιν γραμματικῶν ἔκκειται ἅπασιν [2]); nam quod opus ita est comparatum, ut 'interpretandi palaestra' nominari possit, id profecto detestabuntur potius puellae quam lectitabunt. Fuisse quidem in quattuor illis aetiorum libris etiam eiusmodi carmina, quibus delectarentur puellae, haud ignoro; sat est Cydippae mentionem facere, cuius historiam in tertio αἰτίων libro tractasse poetam mihi quoque persuasum est. Sed tales fabulas, quae ad mortalium [3]) potius fata quam ad deos heroesque pertineant, paucas tantum vel praeter Cydippam fere nullas in aetiis tractatas fuisse cum ex Martialis verbis modo allatis tum ex epigrammate apparet incerti auctoris hoc [4]):

Ἃ μέγα Βαττιάδαο σοφοῦ περίπυστον ὄνειαρ,
ἦ ῥ' ἐτεὸν κεράων, οὐδ' ἐλέφαντος ἔης.
Τοῖα γὰρ ἄμμιν ἔφηνας, ἅτ' οὐ πάρος ἀνέρες ἴδμεν
ἀμφί τε ἀθανάτους, ἀμφί τε ἡμιθέους,
εὖτέ μιν ἐκ Λιβύης ἀναείρας εἰς Ἑλικῶνα
ἤγαγες ἐν μέσσαις Πιερίδεσσι φέρων·
αἱ δέ οἱ εἰρομένῳ ἀμφ' ὠγυγίων ἡρώων
Αἴτια καὶ μακάρων εἶρον ἀμειβόμεναι.

---

1) 'Non hic Centauros, non Gorgonas Harpyiasque
Invenies: hominem pagina nostra sapit.
Sed non vis, Mamurra, tuos cognoscere mores
Nec te scire; legas Aetia Callimachi.'

2) Pro ἅπασιν coniecerunt παισίν Davis. ad Cic. de Divin. II 64 et Meineke, Analecta Alexandr. p. 32.

3) Falso ab aliis deam habitam esse Cydippam optime demonstravit Dilthey l. c. p. 107 sqq.

4) Antholog. Palat. VII 42.

Itaque aetia cum manifesto non ea fuerint, quibus puellae delectarentur et incenderentur, fieri non potest, quin hoc Propertii loco vituperari ea potius quam commendari statuatur.

Deinde alterum praesto est argumentum idque ex ipsis Propertii verbis petitum, quo noluisse poetam αἴτια laudare demonstretur. Sunt enim v. 44 verba haec: 'Inque tuos ignes, dure poeta, veni'. Ea, si sententiarum ordinem totumque carminis argumentum recte teneo, nihil aliud significare videntur nisi: 'condas carmina, quibus *tuos ipsius* amores tractes'. Iam concedamus fere omnes aetiorum elegias tales fuisse, qualis fuit Cydippa, fabellas amatorias, — quod quantum abhorreat a vero, modo vidimus[1]) — tamen laudari hoc carmine aetia et commendari absurdum est credere. Nam qui fabellas imitatur amatorias, amores sane celebrat, non tractat *suos ipsius* amores. Ergo, si versum illum 44, ut par est, premimus, concedendum est αἰτίων exemplum, recepta scilicet Hertzbergii ceterorum interpretatione, prorsus inepte a poeta esse allatum. Itaque sit mihi venia, quod, ne poeta inepte videatur dixisse, viros doctos malim statuere eius verba minus apte esse interpretatos.

Tertium argumentum, quo noluisse poetam aetia Lynceo commendare extra omnem ponitur dubitationem, repetere licet e Prop. carm. I 7 et 9, huic, de quo agitur, argumento simillimis. Quorum priore poeta haec fere edit: Tu, Pontice, carmine epico aequasti Homeri gloriam; ne tamen spernas mea leviora nimirum carmina ('Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae Armaque fraternae tristia militiae Atque, ita sim felix, primo contendis Homero . . . Nos, ut consuemus, *nostros* agitamus amores Atque aliquid duram quaerimus in dominam . . . Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu'). Nam tu quoque amoris aliquando laqueis implicaberis ('Te quoque si certo puer hic concusserit arcu') et tunc videbis nihil tibi Thebaidem tuam prodesse ('Longe castra tibi, longe miser agmina septem Flebis in aeterno surda iacere situ') optabis-

1) Ad hanc inclinare sententiam videtur Rohdius l. c. p. 89, quamquam concedit ipsa fragmenta nullam praebere ansam, qua fretis complures fuisse in aetiis historias amatorias affirmare liceat.

que, ut molles elegos, quo genere equidem praesto, componere scias ('Et frustra cupies mollem componere versum'). Vides opponi inter se epicam poesim et quae vocatur '*lyricam*'[1]); illa nihil, hac multum profici in amore dicit. Ergo hac in elegia talia carmina, qualia aetia fuerunt, Propertium imitanda amico proponere voluisse ineptum est arbitrari; nam, ut iam dixi, suos ipsius amores Cyrenaeus ne verbo quidem in eo opere attigit. Iam sana nos uti ratione quis negabit, si in carmine II 34, cuius prorsus idem est atque illi sententiarum nexus, reprehendi potius aetia quam collaudari statuimus?

Carmen I 9 a carmine 7 eo tantum differt, quod *iam correptum* amore Ponticum poeta adloquitur; ceteroqui par est argumento ac sententiis. Ecce versus:

Quid tibi nunc misero prodest grave dicere carmen
　Aut Amphioniae moenia flere lyrae?
Plus in amore valet Mimnermi versus Homero,
　Carmina mansuetus lenia quaerit Amor.
I, quaeso, et *tristis istos* compone *libellos*
　Et cane, *quod quaevis nosse puella* velit.

Ergo in hac quoque elegia epicae poesi opponuntur elegiae amatoriae, quibus poeta *sui* amoris dolores ad commovendum puellae animum[2]) proloquatur; optime igitur Homero opponitur Mimnermus; ineptum esset, si cum Mimnermo aetia Callimachi opponerentur. Ita in carmine II 34 optime Homero opponitur Philetas, cuius Battidem ad ipsius poetae amorem pertinuisse inter omnes constat; ineptum esset, si cum Phileta opponerentur aetia Callimachi, quibus quin aliena fata narraverit poeta, nemo unquam dubitavit.

Pauca de versibus, qui sequuntur illum, quo 'inflati' vocabulum continetur, adicienda.

---

1) Lyricam eo sensu dico, quo omnis poesis comprehenditur, cuius id proprium est, ut de suis ipsius animi affectionibus poeta verba faciat.

2) Itaque exeunte carmine pro: 'Dicere quo pereas, saepe in amore levat' probandum sit, quod coniecerunt Itali: 'Dicere quo pereas, saepe in amore *iuvat*'. Ceterum miror, quod **Lachmannus** 'errata', quod est in antecedenti versu, de ipso Pontici amore intellegere potuerit. Accipiendum sine dubio de eo errore, quem Ponticus usque ad illud tempus lyrica poesi despecta commiserit.

Non solum optimi ex Baehrensii sententia codices sed etiam Neapolitanus hanc praebent scripturam:

Nam rursus licet Aetoli referas Acheloi,
  Fluxerit ut magno tactus amore liquor,
Atque etiam ut Phrygio fallax Maeandria campo
  Errat et ipsa suas decipit unda vias,
Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion
  Tristis ad Archemori funera victor equus:

Groninganum secuti plurimi viri docti pro 'rursus' scripserunt 'cursus' et in verbo 'licet' adhortativam vim inesse arbitrati locum sic fere intellegunt: 'Imiteris Philetam et Callimachum *itaque poemata conficias,* quibus Acheloi depingantur amores etc.'. Quam si sequeris interpretationem, statim particulam 'nam' causalem ferri non posse videbis. Sed etiam si viliora secutus manuscripta cum Baehrensio scripseris 'Iam', offensiones remanent gravissimae. Num miris illis Acheloi, Maeandri, Archemori fabulis, quarum tertia nullo omnino pacto ad amorem pertinet, puellas pellici arbitraris? Si vero non arbitraris, qui potes putare a Propertio, eiusmodi fabulas ut versibus tractet, Lynceum admoneri? Deinde 'licet' cum coniunctivo sine dubio minus gravis formula adhortativa est, quam ut hoc loco, quo summa poeta gravitate loquitur, apte adhiberi videatur. Omnes hae removentur difficultates[1]), si cum Scaligero lenissima litterarum permutatione pro 'Nam' scribimus 'Non'. Tunc enim hic totius loci evadit sensus: 'Tu potius Philetae carmina amatoria imiteris quam aetia Callimachi; nam non tibi licet, si quidem puellis placere vis, *miracula proferre, quae a vera rerum natura abhorrent,* velut amnes amoris affectibus correptos aut equum humana praeditum voce'. Quocum vide quam bene concinat illud Martialis epigramma supra allatum, quo et ipso mirae illae et a natura alienae aetiorum fabulae illuduntur.

Haec igitur Scaligeri emendatio verissima est. Iam de sequenti verbo quaeritur quid statuendum sit. Etenim ita, ut modo diximus, si intellegendus locus est, iam non

1) Quas ipse Scaliger satis nimirum eas patere ratus ne verbo quidem attigit.

quadrant, quae Lachmannus[1]) edidit haec: 'rursus, quod quocunque modo accipiatur, ineptum est'. Nam optime dicere videtur poeta sic: 'ne *iterum* eas fabulas tractes, quas iam tractavit Callimachus in aetiis'. Neque ex Groningani auctoritate 'rursus' respuere nobis licet, quippe quod tueantur et Hamburgensis et Neapolitanus haud spernendi ex omnium consensu codices.[2]) Alia igitur quaerenda ratio est, qua haec codicum et virorum doctorum dissensio componatur.

Ac profecto miror equidem, quid Lachmannus ceteri, qui Groninganum sequuntur, sibi velle putaverint illud 'cursus Acheloi Fluxerit ut magno tactus amore liquor'. An cursum mutasse fluvium captum amore Deianirae? At tales ineptias finxisse Callimachum non est credibile. Multo sane verisimilius spumantem eum fecisse Acheloum et tanquam ardore cupiditatis aestuantem. Hoc vero si placet, illud 'cursus' non apte dictum esse fatendum est. Deinde ut concedam neglegentia librariorum aeque facile *cursus* in *rursus*, ac, quod ego praetulerim, *rursus* in *cursus* corrumpi potuisse, si ratione quadam usos esse librarios statuimus, id quidem intellego, qua quis ratione eo pervenire potuerit, ut 'rursus' mutaret in 'cursus', primum enim intuenti locum deesse videtur vox, ex qua pendeat genetivus 'Acheloi'; non intellego, qui quis pro 'cursus' scribere potuerit 'rursus' primo certe obtutu haud ita facile intellectu.

His de causis etiam hac in re cum Scaligero facio, cuius auctoritatem posteriores non recte despexisse videntur, itaque scribendum censeo: 'Non rursus licet Aetoli referas Acheloi'.

Sed ut redeamus eo, unde exspatiati sumus, demonstrasse

---

1) Prop. carm. em. Lachm. 1816.

2) Quanti eos Hertzbergius aestimaverit, inde elucet, quod de Neapolitano, Dresdensi, Hamburgensi haec facit verba: 'Quare trium horum consensum tanti faciendum existimavimus, ut si bonum sensum communis eorum scriptura praeberet, vel Groningano eam praeferremus'. Ac Neapolitanum quidem, quem ipse Baehrensius multo maioris pretii esse statuit quam Groninganum, Leo in Mus. Rhen. vol. 35 p. 441—447 contra Baehrensium disputans 'unum non interpolatum et librum esse multo reliquis lectionis integritate superiorem' evicisse mihi videtur.

mihi videor, Propertii carmine II 34 inter se opponi Callimachum et Philetam huiusque carmina commendari Lynceo, illius contra *aetia ut inflata vituperari.* Neque id me ullo modo moratur, quod Propertius non solum in primo libri V carmine summa aetiorum Callimachi admiratione captum se praebuit[1]), sed etiam nonnullas in eodem libro elegias edidit, quae manifesto aetiologicae et ad exemplar Callimacheorum compositae sunt.[2]) Nam monuit iam Hertzbergius[3]), id quod admodum probabile esse duco, eas ante Cynthiae amorem esse scriptas, ut correptus illo poeta argumenta aetiologica deseruisse et, cum, quanto eis amatoria praestarent, intellexisset, mutato iudicio vel despexisse ac respuisse videatur. Sed quocunque tempore illa aetiologica Propertii carmina scripta sunt, mutasse iudicium poetam et quae antea petiverat deseruisse cum inde apparet, quod praeter paucas illas nullas eiusmodi elegias[4]) composuit, tum ex illo versu, quo primum libri V carmen, truncum sane relictum, posteriore ut videtur tempore continuavit (V 1, 71): 'quo ruis imprudens vage dicere fata Properti'; eo enim ipse se ab aetiis Callimachi imitandis ad amatoria scribenda carmina revocat.

Iam vero, si carmine II 34 vituperatur Callimachus, quid illi loci, quibus haud dubiis Cyrenaeum laudibus poeta ecfert? Ad quodnam eius poema pertinent? Eos quoque ad aetia pertinere respondent Schneiderus Rohdius Diltheyus confisi falsa versus 32 elegiae II 34 interpretatione. Quorum sententia cum eo refutata videtur esse, quod eo carmine vituperari aetia demonstravimus — nam quod poema uno loco vituperatur, aliis ab eodem poeta locis collaudari non est credibile[5]) —, tum

1) Cf. V 1, 62 sqq. 'Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua | Ut nostris humefacta superbiat Umbria libris, | Umbria *Romani* patria *Callimachi*' et deinceps v. 69 'Sacra diesque canam et cognomina prisca locorum', quae manifesto ad aetia pertinent.

2) eleg. 2, 4, 9, 10.

3) Quaest. III 3 p. 223.

4) Una excepta II 31, quam solemni data occasione et gratificatus sine dubio Augusto composuit.

5) Nisi ipsi loci nos eo redigunt, ut collaudari poema alio loco reprehensum statuamus; velut V 1, 63 sine ulla dubitatione ad aetia

ipsi, de quibus quaeritur, loci ei sunt, quibus ad aetia spectari veri videatur dissimillimum.

Primus est II 1, 40. Quo carmine de eo se purgat Maecenati poeta, quod nunquam epicum poema condiderit; amore sibi opus esse incitamento ad carmina facienda; quaecunque ad puellam pertineant, ad ea canenda suppeditare ingenium, non suppeditare ad epica argumenta tractanda. Ultimi enuntiati sententiam his poeta verbis edidit: 'Sed neque Phlegraeos Iovis Enceladique tumultus Intonet angusto pectore Callimachus, Nec mea conveniunt duro praecordia versu Caesaris in Phrygios condere nomen avos. *Navita de ventis, de tauris narrat arator, Enumerat miles volnera, pastor ovis,* Nos contra angusto versantes praelia lecto: Qua pote quisque, in ea conterat arte diem'. Quo loco si aetia Cyrenaei poeta significare vellet, absurdum esset mentionem fieri nautae, qui de ventis, aratoris qui de tauris, ceterorum, quorum de eo unus quisque loquatur, quod expertus sit. An Callimachus deorum heroumque fata, quae in aetiis tractata erant, ipse expertus est?

Prorsus eadem ratio est carminis III (IV) 9, quod ad eundem Maecenatem scriptum est. Dicit poeta non valere ingenium suum ad epica condenda poemata, sed (v. 43):

Inter Callimachi sat erit placuisse libellos
Et cecinisse modis Coe poeta tuis.
Haec urant pueros, *haec urant scripta puellas*
Meque deum clament et mihi sacra ferant.

Putasne aetia ea fuisse, quae urerent pueros et puellas? Profecto ne Cydippa quidem; nedum illae aetiorum elegiae, maxima certe totius operis pars, quibus deorum heroumque fata narrata erant. De aetiis igitur hoc loco nequaquam cogitandum.

Neque tertio loco, qui est III (IV) 1: 'Callimachi Manes et Coi sacra Philetae· | In vestrum quaeso me sinite ire nemus'

---

pertinet propter universum carminis sententiarum nexum. Qua in re mire erravit Scaliger, cum dicat l. l.: 'At dices, quomodo inflatum vocat, quem profitetur se imitari? age mitto imitari, cuius nomine ipse se appellat 'Umbria Romani patria Callimachi?' Propertius tantum deterret eum ab aetiis Callimachi, cui poemati simile aggrediebatur ille Propertii amicus: non autem ab amoribus aut elegiis Callimachi, quas ipse imitari se ut dixi profitetur'.

et qui sequuntur versus. Nam molles Propertii elegiae magis certe ab aetiis, quo poemate epicorum carminum materiam elegiarum forma tractaverat, differunt, quam ut ea imitatum sua se scripsisse dicere poeta possit.

Omnibus igitur eis locis non ad aetia sed ad aliud quoddam elegiarum corpus spectare poetam luce clarius mihi esse videtur. Quod quale fuerit, non dubitabit, Propertii carmina qui vel uno aspectu cognoverit. Etenim tota fere poetae vis cum versetur in enarrandis suorum amorum deliciis, illa quoque Callimachi carmina ad ipsius amores pertinuisse consentaneum est. Ceterum praesto sunt et Propertii et aliorum scriptorum loci, quibus scripsisse talia carmina Callimachum evincitur. Velut Prop. II 1, 45, ubi *se atque Callimachum* proelia in lectulo cum puella commissa canere dicit; sic enim accipiendum est 'nos'[1]), cum, si de se uno poeta loquitur, et in eis, quae antecedunt, et in eis, quae sequuntur, singulari utatur numero.[2]) Confer etiam III (IV) 9, 45, qui locus illos 'Callimachi libellos' paullo ante commemoratos lasciva continuisse carmina haud sane occulte demonstrat.[3]) Accedunt tres Ovidii loci maximi ad nostram firmandam sententiam momenti. Primus est Ov. art. am. III 329: 'Sit tibi Callimachi, sit Coi nota poetae Musa', scilicet ut recitatis eorum versibus viros libidine possis perfundere.[4]) Alter Rem. am. 759: 'Callimachum fugito, non est inimicus amori, Et cum Callimacho tu quoque, Coe, noces'. Fugito Callimachum, scil. ne eius versibus libido tua denuo quasi stimulis excitetur. Et omnium gravissimus tertius Trist. II 367: 'Nec tibi, Battiades, nocuit, quod saepe legenti *Delicias* versu fassus es ipse *tuas*'. Omnia haec

---

1) Nos contra angusto versantes praelia lecto.

2) v. 1: Quaeritis, unde *mihi* totiens scribantur amores. v. 12: '*Invenio* causas mille poeta novas'. v. 17: 'Quod *mihi* si tantum, Maecenas, fata dedissent'. v. 35: 'Te *mea* musa illis semper contexeret armis'. v. 41: 'nec *mea* conveniunt duro praecordia versu'. v. 48: '*fruar* o solus amore meo'. v. 49: 'Si *memini*'.

3) Verba perscripta sunt supra p. 13.

4) Revera id subintellegendum esse docet et universum totius libri argumentum et qui statim sequitur versus: 'Nota sit et Sappho; quid enim *lascivius* illa'?

vides unice quadrare in carmina amatoria, quibus sua ipsius furta poeta lascive celebraverit.

Haec igitur carmina Propertius et laudavit et imitatus est, ut iam restituta esse videatur Scaligeri, Valckenarii, Hertzbergii ceterorum sententia, qui praeter aetia etiam mollium elegorum corpus scripsisse Cyrenaeum censuerunt. Nam quod Schneiderum secutus dixerit quispiam, μέλη potius amatoria illa Callimachi carmina fuisse nec numero composita elegiaco, Propertium num verisimile argumento imitatum esse Callimachi carmina, non imitatum esse numeris?[1]) Immo etsi Cyrenaeum μέλη, ad amorem quae pertinuerint, scripsisse concesserim[2]), tamen ea, quae Propertio ante oculos obversabantur, carmina, et amatoria et elegiaco conscripta numero fuisse pro certo habeo. Hic igitur amatoriis elegiis eam laudem adeptus videtur esse, ut, ubicunque principes elegiaci generis recensebantur, ipsius nomen nunquam omitteretur.

Sed si tanti a Graecis Romanisque criticis amatoriae illae elegiae aestimabantur, nonne mirum est, quod, cum aetiorum et Hecales tot tradita sint fragmenta, ex illis deprompturn esse dicitur unum solum in Etym. Magno p. 290, 50.[3]) Quae res praeter cetera Schneiderum, Diltheyum, Rohdium commovit, ut eo loco nomen ἐλεγεῖα de numeris potius quam de argumento accipiendum, itaque et ipsum ad aetia referendum esse rati mollium elegorum corpus fuisse omnino negarent. At id quidem negari non posse cum in eis, quae antecedunt, argumentis satis firmis, ut videtur, comprobaverimus, alia ratione explicemus oportet, qui factum sit, ut optimum Callimachi opus adeo paene ex memoria excideret. Quod haud

1) Ceterum pluribus Propertius locis diserte significat etiam ipsorum versuum arte tanquam exemplari se uti Callimacho velut III (IV) 1, 8: 'Exactus tenui pumice versus eat'.

2) Est enim in operum Callimacheorum, quae exstat apud Suidam, tabula titulus Μέλη; ac praeterea servatum est elegantissimum μέλους τινὸς fragmentum hoc: ἡ παῖς ἡ κατάκλειστος, τὴν οἵ φασι τεκόντες εὐναίους ὀαρισμοὺς ἔχθειν ἶσον ὀλέθρῳ; quod ex epigrammatum libro desumptum esse iniuria, ut quidem mihi videtur, Schneiderus (II 386) statuit.

3) Καλλίμαχος ἐν Ἐλεγείοις· ἐκ δὲ τριηκόντων μοῖραν ἀφεῖλε μίαν, ἀντὶ τοῦ ἐκ τῶν τριάκοντα. Plenius est idem fragmentum apud Stobaeum Tit. CXIII 6 Schneid. Call. II p. 217).

sane difficile est. Etenim reputes, quaeso, qui sint illi, qui aetiorum, Hecales, similium poematum tot servarunt fragmenta: grammatici nempe, qui quo quid magis doctrinam redolet, eo maiore id studio complectuntur; qui obscurissimum quidque ardentissima expetunt cupiditate, quia praebet, quibus cognitis gloriari vilia ingenia possint. Nil igitur est, quod miremur, aetia eos et studiosissime lectitasse et quasi thesauro eis esse usos, unde sua rerum mythicarum atque glossarum exempla repeterent[1]), neglexisse contra Amores Callimachi, quorum ratio a doctrina et obscuritate aeque abhorreret. Eo minus id mirum videtur, quod in altero poeta elegiaco et in eo quidem, qui Quintiliano teste secundum elegiaco in genere locum tenebat, prorsus idem factum esse videmus. Etenim Philetae Demeter, Hermes, Paignia, Epigrammata cum compluries citentur, Battidis nomen nulli omnium fragmentorum adiectum legimus, ut, nisi Ovidiani illi loci et Hermesianactis fragmentum essent, etiam de Coi Amoribus dubitatio esse posset (cf. 'de Phileta Coo' Nicolaus Bach p. 14; et Philetae Coi frgm. coll. Kayser p. 24: 'ut prope videantur omnia, quae maximam poetae famam compararunt, esse deperdita'). Ceterum in eis Callimachi fragmentis, quibus, quo ex poemate deprompta sint, additum non est, nonnulla, quae Ἐλεγείοις adscribenda sint, inesse censuerim.

Tantum igitur abest, ut id, quod unum solum addito 'elegorum' nomine fragmentum traditum est, pro argumento haberi possit, quo non fuisse eius tituli opus comprobetur, ut potius contrariae sententiae, quam nos defendimus, tradito illo loco aliquanto fides augeri videatur. Nam si aetia, id quod statuit Schneiderus[2]), grammaticus Etymologici M. significare voluisset, eo ipso hercle titulo usus esset, non dixisset ἐν ἐλεγείοις, quae vox, si de numeris intellegitur, eodem iure

---

1) Glossas in aetiis fuisse multas ipsa fragmenta docent, velut frgm. 12, 13ª (olim 154), 19, 26, 28. Cetera fragmenta fere omnia afferuntur, ut prisca locorum nomina aut ut quaedam res mythologica Cyrenaei auctoritate confirmetur. An mirum Stephanum Byz. ex aetiis quidem multa, ex amoribus contra Callimachi nihil prorsus afferre?

2) Callim. II p. 219; sequitur Schneiderum Diltheyus.

de epigrammatis, id quod statuit **Rauchius**[1]), atque de aetiis accipi poterat. Censeo igitur equidem, neque veterum virorum doctorum quemquam aliter censuisse arbitror[2]), nomine 'ἐλεγεῖα' grammaticum Etymologici M. illud significasse mollium elegorum corpus, quod scripsisse Callimachum tot Propertii aliorum scriptorum loci haud dubie testantur, nec video causam, cur id nomen ab ipso poeta operi suo inscriptum esse negemus.

Itaque ne confundantur τὰ Ἐλεγεῖα, lyrici[3]) carmina argumenti et, Propertio si fidem habemus, elegantissima atque omnibus absoluta numeris cum aetiis, epicae materiae poemate, quod inflatam praebuisse speciem eidem Propertio non est, cur non credamus. Neque quod vitium voce 'inflatus' significare Propertius voluerit, dubium esse potest. Apparet enim eius termini vis cum ex aliis aliorum scriptorum locis tum maxime ex Quintiliani hoc: 'Attici *pressi* et integri, Asiani *inflati* et inanes'.[4]) Vides opponi inter se 'pressus' et 'inflatus'. Illa autem vox metaphora est a cultu arborum ducta, quarum rami inutiles 'premuntur' i. e. amputantur, ne nimis dilatentur et luxurient.[5]) Inflatam igitur Propertius idcirco dicit Callimachi elocutionem, quod molestis narrandi ambagibus et nimia quadam in describendo verbositate quasi luxuriabat.

Neque unus Propertius id de Cyrenaei elocutione monuit; accedit alter testis, quem **Schneiderus** alii neglexisse videntur, Lucianus, elegantissimus ille cum scriptor tum aliorum scriptorum iudex. Qui manifesto de aetiis cogitans hoc de Callimacho iudicium tulit Quom. hist. sit conscr. cap. 57: 'οἷον ὁρᾷς τι καὶ Ὅμηρος ὡς μεγαλόφρων ποιεῖ. καίτοι ποιητὴς ὢν

---

1) **Rauch**, Fragm. der Aitia p. 9.

2) **Bentleium** quidem diserte eam sententiam prodidisse video.

3) V. supra p. 9 adn. 1.

4) Quintil. inst. orat. 12, 10, 16 Et antiqua quidem illa divisio inter Atticos et Asianos fuit, cum hi pressi et integri, contra inflati illi et inanes haberentur, in his nihil superflueret, illis iudicium maxime ac modus deesset.

5) Hor. Od. I 31, 9: Premant Calena falce, quibus dedit | Fortuna vitem. Ov. Metam. 14, 628: falce, | qua modo luxuriem premit et spatiantia passim | Brachia compescit. Verg. G. 1, 157; Cic. de N. D. 2, 7.

παραθεῖ τὸν Τάνταλον καὶ τὸν Ἰξίονα καὶ Τιτυὸν καὶ τοὺς ἄλλους. εἰ δὲ Παρθένιος ἢ Εὐφορίων ἢ Καλλίμαχος ἔλεγε, πόσοις ἂν οἴει ἔπεσι τὸ ὕδωρ ἄχρι πρὸς τὸ χεῖλος τοῦ Ταντάλου ἤγαγεν; εἶτα πόσοις ἂν Ἰξίονα ἐκύλισεν;' Vides etiam hoc Luciani loco nimiam illam vituperari narrandi et describendi ubertatem[1]); idque recte iam perspexit C. Fr. Hermannus, qui ut refutaret virorum doctorum de Luciani iudicio scrupulos, ad illum locum adscripsit (p. 336): „At fateor, brevis plerumque fuit Callimachus; sed quae tandem haec est brevitas? Brevis erat in verbis, in carminum extensione, in voluminum ambitu; brevem fuisse in sententiis, quae Luciani mens est, paucis verbis dixisse multum, multis non plus quam opus esset, nec a veteribus memoriae proditum est, nec carmina ipsius, hodie quae exstant, testantur".

Tertio loco testimonium afferatur Procli (comment. ad Plat. Tim. I p. 28 c) haud meo quidem iudicio spernendum: 'Ἡρακλείδης γοῦν ὁ Πόντικός φησιν ὅτι τῶν Χοιρίλου τότε εὐδοκιμούντων Πλάτων τὰ Ἀντιμάχου προυτίμησε καὶ αὐτὸν ἔπεισε τὸν Ἡρακλείδην εἰς Κολοφῶνα ἐλθόντα τὰ ποιήματα συλλέξαι τοῦ ἀνδρός. μάτην οὖν φληναφοῦσι Καλλίμαχος καὶ Δοῦρις ὡς Πλάτωνος οὐκ ὄντος ἱκανοῦ κρίνειν ποιητάς. Nam si idem poeta, cuius Lyden Cyrenaeus ut παχὺ γράμμα καὶ οὐ τορόν respuit, in deliciis fuit Platoni, quam fuisse putas eius παχύτητα nisi modestam quandam simplicitatem, quae a nimia illa dicendi ubertate abhorreret?[2]) Itaque ex hoc quoque loco de inflata ipsius Callimachi elocutione concludere licet.

---

1) Itaque eorum virorum doctorum, qui illo Propertii loco 'non inflatum' dici Callimachum censebant, in hoc Luciani loco offenderunt. Mirantur enim, qui adeo inter se dissentire possint Lucianus atque Propertius; qua re Piersonus 'Antimachum' pro Callimacho reponi voluit. Sed non opus est coniectura, cum si Scaligerum secuti etiam Propertium vituperare Callimachum statuimus, gratissimus utriusque scriptoris consensus eveniat.

2) Neque quod Catullus carmine 95 'tumidum' dicit Antimachum, meo de eo poeta iudicio contra dicere putaverim. Apparet enim ex eo, quem praebet poemation, sententiarum nexu, opponi a Catullo 'parva' carmina eis, quae ingenti versuum numero quasi 'tument'. Velut initio verba sunt haec: 'Zmyrna mei Cinnae nonam post denique messem | Quam coepta est nonamque edita post hiemem, *Milia* cum interea *quingenta*

Sed quid versamur in afferendis aliorum scriptorum testimoniis, cum ipsum Callimachum contemplari liceat. Servata enim est unius aetiorum elegiae, Cydippam dico, metaphrasis prosa conscripta oratione ab Aristaeneto ep. I 10. Qua in epistola quam presse Callimachum secutus sit ille rhetor, satis apparet e quattuor Cyrenaei fragmentis cum Aristaeneti verbis collatis, frgm. 169: μέμβλετο δ' εἰςπνήλαις ὅππoτε κοῦρος ἴοι φωλεόν. Arist.: οἱ δὲ φιλοθεάμονες τοῦ κάλλους εἰς διδασκάλου προϊόντα περιεσκόπουν. frgm. 26: ἄγραδε τῷ πάσῃσι ἐπὶ προχάνῃσι ἐφοίτα. Arist.: εἰς ἄγρον ἐπὶ πάσῃ προφάσει ἐφοίτα. frgm. 101: ἀλλ' ἐνὶ δὴ φλοίοισι[1]) κεκομμένα τόσσα φέροιτε γράμματα, Κυδίππην ὅσσ' ἐρέουσι καλήν. Arist.: ἢ γοῦν τοσαῦτα κατὰ τῶν φλοιῶν ἐγκεκολαμμένα φέροιτε γράμματα, ὅσα τὴν Κυδίππην ἐπονομάζει καλήν. fragm. 229: λῖρος ἐγώ, τί δέ σοι

Hortensius uno'. ac finitur poema: 'Parva mei mihi sint cordi monumenta sodalis. | At populus tumido gaudeat Antimacho'. Hunc igitur vides, quem dicit Catullus, tumorem cum illa posse simplicitate, quam vindicavi Antimacho, fuisse coniunctum. — Ceterum etiamsi Catullus voce 'tumidus' idem significare voluisset, quod Callimachus voce 'παχύ', tamen ne eius quidem iudicium prae Platonis iudicio ullius videretur momenti. Sunt enim eius carmina epica adeo item inflata ut Callimachi, quem imitatur (cf. Weidenbach de Catullo Callimachi imitatore Lips. 1873), ut simplicem et pressam elocutionem et ipsi visam esse non satis expolitam nil est quod miremur. Prorsus autem falso Rohdius a Callimacho vituperari opinatur Antimachum, quod omni data occasione ad res a poematis consilio alienas exspatiatus sit. Eo enim vitio praeter inflatam elocutionem et ipsum se obstrinxisse Callimachum omnes consentiunt; nec sane, quam ipse sequeris rationem, alii crimini dederis. — Vox 'inflatus' igitur, ut hoc etiam atque etiam commoneam, ad elocutionem pertinet et significat nimiam in narrando describendoque verbositatem; itaque et quae ex ipso poematis consilio narranda et describenda sunt et quae aliena a re ab imprudenti poeta adduntur, aut presse aut inflate narrari et describi possunt, ut illi quod dicit Rohdius vitio cum inflata elocutione omnino nihil commune sit (Rohde p. 72).

1) Sequor Bentleyi coniecturam, quam falso Diltheyus impugnat hisce: 'usitatissimo sane more corticibus nomina inscribebant Graeci; ac tam vulgare hoc erat et cuivis factu facile, ut tuo iure quaeras: 'cur tandem Acontius, si Cydippae nomen arborum corticibus insculptum legi voluit, non insculpsit ipse?' Responderim: 'propter nimium nimirum corticum numerum'.

τόνδ' ἐπέθηκα[1]) φόβον; Arist.: τί δέ σοι τοῦτον ἐπῆγον τὸν φόβον. Itaque etsi pauca quaedam vel aliunde subrepta vel ex suo ipsius ingenio hausta Aristaenetus admiscuisse videtur, tamen, quod ne ipse quidem Diltheyus negat, totius epistolae sonum stilumque Callimacho deberi certissimum est. Iam videas, eius epistolae qualis sit elocutio! Quam a nativa simplicitate aliena! quam depravata fuco exquisitae verbositatis! Quot flosculi adeo, ut ita dicam, melle mellitiores, ut fastidium potius quam voluptatem moveant! Quam denique inflatum dicendi genus! Itaque vel si una haec nobis ad iudicandum ansa suppeteret, tamen de inflata aetiorum elocutione dubitari non posset.[2])

Sed, dixerit quispiam, nonne mirum est, qui in uno opere inflatum se praestitit poetam, eundem in altero, id quod tu quidem de elegis Callimachi statuis, summam pressae elocutionis elegantiam esse assecutum. Quem hercle reputare velim, aetiorum et elegorum qualis fuerit argumenti diversitas: nempe epicum illorum, horum contra lyricum fuisse argumentum. Qua ex diversitate argumenti etiam elocutionis oriri diversitatem non solum non mirificum, sed prorsus consentaneum est. Carmen enim lyricum ipse parit affectus quasi sui ipsius imaginem, ut naturam id redolere necesse sit. Epicum contra qui argumentum tractat, ei, cum deficiente affectu totus ex arte pendeat, facillime accidit, ut pro simplici reique apta elocutione affectata utatur atque inflata.[3]) Quod quidem Callimacho quoque, mediocri scilicet ingenio, accidisse in aetiis

1) Non haereo in hac tradita scriptura; supervacanea Meinekii coniectura, quamvis Diltheyo quoque probata.

2) Itaque in ea potissimum quadrare videntur, quae Hertzbergius (Qu. Prop. II cap. VII, p. 189) confisus certe Luciani iudicio — quem tamen de aetiis cogitasse ob istum Propertii locum falso intellectum negat — de Callimacho prodidit haec: 'cum flosculis et affectato cultu inania exornat argumenta et tanquam gravissimas res venditat, absurda nascitur rerum atque verborum repugnantia'.

3) Haec optime exposuit Hertzbergius Qu. Prop. II cap. VII p. 188 sqq., qui tamen viam, quam ingressus est, mirum in modum deseruit. Etenim postquam diserte explicavit unice ad lyricum genus colendum idonea fuisse Alexandrinorum ingenia, tamen — commotus nempe falsa Prop. II 34 interpretatione — praeter amatorias Callimachi elegias etiam aetia eximiae elegantiae exemplar fuisse statuit (p. 195).

non est quod miremur.[1]) Eundem vero poetam, quotiens puellam Musam habebat, carmina edidisse eleganti et venusta quadam simplicitate insignia, cum per se haud incredibile tum Propertii laudibus supra allatis extra omnem dubitationem positum est.[2])

---

1) Ceterum vide, quae Weidenbachius de Callimachi elocutione, aetia significans, edidit haec: „Callimachi versus elegiaci artificiosi, contorti aliquid habent: argutias sectatur Cyrenaeus, *nec placent ei simpliciter dicta*' (l. l. p. 32).

2) Quid quod unum habemus quamvis non elegiae fragmentum, quod aptissimum venustae eius simplicitatis exemplum praebeat. Μέλους enim, quod iam supra p. 15 adn. 2 commemoratum est, hi servati sunt versus: ἡ παῖc ἡ κατάκλειcτος | τὴν οἵ φαcι τεκόντες | εὐναίους ὀαριcμοὺc | ἔχθειν ἴcον ὀλέθρῳ. Quam facete haec dicta! quam venuste! quam non inflate!

Caput alterum.

Finita hac priore disputationis nostrae parte iam ad ea placet accedere examinanda, quae Schneiderus de aetiorum argumento statui posse opinatus est. Quae etsi iam Diltheyus[1]) alii data forte occasione impugnaverunt, tamen omnes adeo ea in transcursu tetigere, ut nonnulla, credo, supersint, quae moneantur digna. Atque primum quod dicit: 'ea fragmenta qui in genera digerere instituerit, trium maxime singula esse generum inveniet; nam pertinent aut ad agones aut ad populorum urbiumque origines aut ad sacra publica omnemque deorum cultum', ne ea quidem fragmenta, quae in aetiis sedem habuisse certum est, ratione satis sana perlustrasse videtur. Est enim unum ex eo numero fragmentum, quod cui eorum generum iure attribui possit, non video. Locus est apud Schol. Hom. Il. Π, 145 hic: 'τοῦ Ἰκαρίου πελάγους κεκλημένου οὕτως ἀπὸ Ἰκάρου τοῦ Δαιδάλου παιδὸς πεσόντος εἰς αὐτὸ καὶ ἀπολομένου οὕτως. μετὰ τὴν τῆς Πασιφάης πρὸς τὸν ταῦρον μίξιν Δαίδαλος εὐλαβούμενος τὴν Μίνωος ὀργὴν πτερωτὸς σὺν Ἰκάρῳ τῷ υἱεῖ ἐφέρετο. καταπεσόντος δὲ τοῦ παιδὸς τὸ ὑποκείμενον πέλαγος Ἰκάριον μετωνομάσθη. ὁ μέντοι Δαίδαλος διαπτὰς εἰς Κάμικον τῆς Σικελίας καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐκδεχόμενος ἔμεινε παρὰ ταῖς Κωκάλου θυγατράσιν, ὑφ' ὧν ὁ Μίνως ἥκων ἐπ' ἀναζήτησιν τοῦ Δαιδάλου ἀποθνήσκει καταχυθέντος αὐτοῦ ζεστοῦ ὕδατος· ἱστορεῖ Φιλοστέφανος καὶ Καλλίμαχος ἐν Αἰτίοις.[2])

---

1) Neue Jenaer Literaturzeitung vol. I 1874 p. 576 sqq.

2) 'I. e. ex grammaticorum usu: Callimachus in Aetiis eumque secutus Philostephanus' Schneider. Call. II p. 109.

Vides historiam idcirco allatam, ut explicaretur, unde mare Icarium nomen accepisset. Nonne igitur id ipsum ut explicaretur, proprium alicuius aetiorum elegiae consilium fuisse consentaneum est? An verisimilius, id quod Schneiderus solus nimirum persuasum habet, illam fabulam exspatiatum potius narrasse poetam in carmine, cuius consilium fuerit, ut, quorum instrumentorum auctor esset Daedalus, explicaretur? Quod ne statueret, praeter cetera vir doctus — et id quidem monuit iam Diltheyus de Call. Cyd. p. 105 — versu illo Propertiano prohiberi debuit, quo poeta postquam Romana se aetia scripturum professus est, in hunc modum accuratius consilium suum circumscribit V, 1, 69: 'Sacra diesque canam et *cognomina prisca locorum*'. Iam igitur non dubium est, quin non solum illius de Icario mari carminis sed etiam complurium id fuerit consilium, ut cognomina prisca locorum unde orta essent, ostenderetur. Hoc vero si concedis, iam vides, tripartitione illa quanto se vitio Schneiderus obstrinxerit.

Sed videamus, qua vir doctus ratione a fundamento exorsus tam imbecillo cetera sua placita instruxerit. Pergit enim: 'nec minus certum puto hoc, ea genera pertractata fuisse singulis Αἰτίων libris; aliter enim nec Callimachus paruisset rationi etc.'. Argumentum cum satis, ut videtur, vile tum quo nihil omnino comprobetur. Nam suam quisque eiusmodi in rebus 'rationem' habet, et qualis Callimachi ratio fuerit, id ipsum sane quaeritur. Nec profecto equidem tam perversam fuisse crediderim Cyrenaei rationem, ut uno libro de 'sacris omnique deorum cultu' ageret, alio de ludis solemnibus, qui et ipsi ad sacra cultumque deorum pertinent.

Sed alterum Schneidero praesto est argumentum; nam pergit: 'et verendum esset, ne ipsis parum tribuere videremur veterum testimoniis, qui cum peculiarem Callimachi librum περὶ ἀγώνων nominent — etsi grammaticorum more libros dicunt, quae unius libri erant partes — hoc tamen docent, peculiari libro a Callimacho iunctim esse pertractatos agones, unde etiam de urbium originibus et de tertio quoque quartoque, quodcunque fuit, genere non iam dubia res sit.' Pertinent haec ad locum, apud Harpocrationem qui invenitur, hunc: Ἄκτια ἀγὼν παλαιὸς ἦν ὡς δῆλον ποιεῖ Καλλίμαχος ἐν τῷ

περὶ ἀγώνων.[1]) Quo fretus testimonio Diltheyus[2]) peculiarem exstitisse Callimachi περὶ ἀγώνων librum eumque prosa scriptum oratione statuit.[3]) Schneiderus contra id negat, cum sibi persuaserit, si revera Callimachus peculiarem περὶ ἀγώνων librum confecisset, futurum fuisse ut saepius citaretur. Ac sane id si iure negaret, ne ipse quidem facere possem, quin ad aetia illum titulum pertinere iunctimque aliquo eius operis libro agones tractatos esse statuerem. At vero illud Schneideri argumentum quam sit infirmum ex eis apparet, quae supra de mollibus Callimachi elegis disputavimus. Hos enim ipsos semel tantum laudari vidimus[4]); at nihilo minus scripsisse eiusmodi carmina Callimachum statuendum erat. Itaque etiam de peculiari περὶ ἀγώνων libro iure dubitari nequit, ac vereor, ne ipse Schneiderus dubitatione sua, 'veterum testimoniis parum tribuere videatur'.

Deinceps id quaerit vir doctus, quoto unumquodque genus libro Callimachus pertractaverit. Atque ut in unaquaque re, num via ac ratione Schneiderus ad sententias suas per-

---

1) Cf. etiam Suid. I 1 p. 187 Bernh., qui locus, cum eadem fere verba exhibeat, ex illa Harpocrationis epitome, qua usum esse in compilando opere suo Suidam constat, haustus videtur esse; itaque pro peculiari testimonio accipiendus non est.

2) Anal. Callim. p. 23.

3) Cf. etiam Rauchius: Die Fragmente der Aitia 1860: Wir dürfen daher schliesslich behaupten, dass man nie an der Existenz einer selbständigen Schrift des Kallimachus über die öffentlichen Spiele hätte zweifeln sollen.

4) Fragm. 67, quod Schneiderus et Diltheyus, additamentum ἐν τοῖς ἐλεγείοις de numeris accipientes, tertio aetiorum libro et quidem Cydippae adscripserunt. Quod certe non fecissent, si praeter aetia etiam molles elegos Callimachum scripsisse persuasum habuissent. Nam incredibile est, si duo erant Callimachi opera elegiaca, dicturum unde versus sumpserit grammaticum tam ambiguo usum esse additamento. Immo si aetiorum esset fragmentum ἐν Αἰτίοις versus esse dixisset. Quod vero dixit ἐν τοῖς ἐλεγείοις, inde alterius operis elegiaci eum fuisse titulum haud dubie evincitur. Quod quale fuerit supra exposuimus. Ceterum ipsa fragmenti sententia docere videtur, non omnes eius operis elegias fuisse amatorias, sed eadem ratione ac Propertium etiam Callimachum ad amicos epistolas amoribus inseruisse.

venerit, intellegamus, iam concesso eo, quod concedendum non est, vera eum hactenus disputasse, ad eam quae sequitur argumentationem animum attendere libet. Incipit a fragmento 32, quod Stephanus Byzantius p. 223, 12 verbis tradidit his: Δειπνιάς, κώμη Θεσσαλίας περὶ Λάρισσαν, ὅπου φασὶ τὸν Ἀπόλλωνα δειπνῆσαι πρῶτον, ὅτε ἐκ τῶν Τέμπεων καθαρθεὶς ὑπέστρεψεν καὶ τῷ παιδὶ τῷ διακομιστῇ τῆς δάφνης ἔθος εἰς τήνδε παραγενομένῳ δειπνεῖν. Καλλίμαχος τετάρτῳ· Δειπνιὰς ἔνθεν δειδέχαται.[1]) Inde autem quod concludit aliqua quarti libri elegia, Delphorum illa theoria nono quoque anno in Tempe missa unde initium ceperit, expositum fuisse, haud scio an id, quod primum ei in mentem venit, temere pro vero acceperit. Nam eodem certe, ne dicam maiore iure id quaesivisse poeta putari potest, unde pago illi nomen Deipniadi esset inditum. Id ut credamus, eo potissimum permovemur, quod verbum δειπνεῖν a Stephano haudquaquam forte, verum eo bis esse adhibitum videtur consilio, ut, qua ratione Deipniadis Callimachus mentionem fecisset, indicaretur. Iam si Schneiderus sua fragmenti illius interpretatione tanquam unice vera fretus quarto libro iunctim de theoriis aliisque sacris publicis expositum fuisse statuit, nobis, cum incertam, ne dicam falsam, eam esse demonstraverimus, etiam inde quae concludit, temere esse conclusa putare liceat. Multo verisimilius videretur eo libro de priscis locorum cognominibus egisse poetam, scilicet si omnino suam cuique libro eamque congenerem fuisse materiam concedendum esset.

Refutata igitur viri docti de quarto aetiorum libri sententia videamus, de secundo quid statuerit. 'Ac faciliori etiam ratione de urbium originibus decerni potest; constat enim Callimachum carmine elegiaco celebrasse Iasonis e Colchica expeditione reditum, quae multarum fuit κτίσεων causa; testatur Strabo I p. 46 Cas. apponens simul fragmentum (113) hoc: ἄρχμενος ὡς ἥρωες ἀπ' Αἰήταο Κυταίου αὖτις ἐς ἀρχαίην ἔπλεον Αἱμονίην. Cuius carminis fragmento nectendum *sine dubio* etiam fragm. 21ᵃ ex schol. Venet. Hom. Il. IX 193: Ἴωνες τὸ Ἀθάμας Τάμμας λέγουσι, 'Τάμμεω θυγατέρος' Καλλίμαχος ἐν β' αἰτίων, unde et huius et congenerum carminum certa sedes

1) Sequor Bentleyi coniecturas.

liber secundus'. Dicit 'sine dubio'; sed quantum abest, ut dubitationis nullus hic locus sit! An nullus nullius cogitari potest carminis locus, quo fragmentum id plane eodem iure referatur atque ad illud de Iasonis e Colchide reditu carmen, quod sane scripsisse Callimachum etiam mihi persuasum est. Ne id quidem affirmare licet eo carmine necesse esse poeta Phrixi et Helles fugam ceteraque, eo quae pertinent, vel uno verbo attigerit. Ipse enim poeta cum dicat inde se incepturum esse poema, quo tempore Argonautae iam ad reditum se contulerint, nonne par erat ea, quae tanto temporis spatio antecesserant, plane omittere? Tamen 'sine dubio' dicit in illo fragmentum carmine sedem habuisse. Qua de re Heckerus, acutissimi vir ingenii, qui peculiare de Argonautarum reditu carmen confecisse Callimachum primus intellexit, non dico dubitavit, sed ne cogitavit quidem.[1])

Neque id mirum. Nam reputes, probata Schneideri sententia quam absona prodeat secundi aetiorum libri forma. 'Totus, ait vir doctus, aetiorum liber secundus dicatus erat Argonautis redeuntibus Colchisque eos quaerentibus ad ulciscendum, cui argumento tanquam subtemini alicui *more Callimachi* aliquot elegiarum argumenta αἰτιολογικά copiose narrata intertexta fuerunt (Call. II, p. 80)'. At tale quid ut mihi persuadeatur, validiore opus est argumento, quam quae Schneiderus de fragmenti 21ᵃ sede satis temere coniecit. Neque quidquam ad levandas meas dubitationes confert illud 'more Callimachi', quod verbis modo citatis decipiendi potius, ut videtur, quam docendi causa inseruit. Nam profecto, aliunde si

---

1) Comment. Callim. p. 33. Neque Rauchius ea in re cum Schneidero consentit, immo Heckeri sententiam secutus eo tantum ab ea discessit, quod qui apud Suidam est titulus operis Callimachei: Ἄργους οἰκισμοί, eum peculiari illi de Argonautis carmini inscriptum fuisse statuit. Unus a Schneideri partibus stare videtur Bergkius, qui in anthologia lyrica verbis ἐξ ἀδήλων βιβλίων (sc. αἰτίων) subdidit titulum Ἄργους οἰκισμοί uncis cinctum, qua ratione significat eius tituli carmini in aetiis se locum vindicare. Hertzbergio (Zeitschrift für Alterthumswissensch. 1847 p. 134 adn.) et ipsi frag. 21ᵃ cum illo a Strabone tradito iungendum esse videtur; tamen praeter eas, quae ab Argonautis conditae ferebantur, multarum aliarum urbium origines in secundo libro narratas fuisse putat.

constaret eum ipsum fuisse Cyrenaei morem, ut epica argumenta aetiorum exponendorum causa in pannos elegiacos discinderet, aliquam certe vim verbis illis inesse concederem. At hercle hic ipse aetiorum liber secundus, qualem fuisse vir doctus statuit, cum unum et singulare pannosae illius poesis exemplum sit, illa quamvis doctissimi viri verba ut planam quae vocatur petitionem principii neglegere fas est.

Atque haec Schneideri ut non sine offensione percurri, ita tota mente obstupui, cum viderem, qualia secundi libri αἴτια constituisset. Primum enim quod occurrit αἴτιον hoc est, unde factum sit, ut apud Hyperboreos Delphisque Apollo asinorum sacrificiis coleretur; alterum, unde Aethaliae insulae portus nomen λιμὴν Ἀργῷος acceperit; tertium, unde Drepanae insulae nomen Σχερία sit inditum; quartum nominis 'Illyria' origo; denique, ut cetera omittam, unde festus quidam dies, qui Aeglete in insula celebrabatur, originem duxerit. Num haec ad urbium origines pertinent, quas eius libri αἴτια fuisse ipse Schneiderus modo proclamavit?[1]) Nonne primum eorum et extremum αἴτιον ex ipsius viri docti partitione quarto potius libro quam secundo vindicanda sunt? Nonne cetera, quae statuit, adeo alienam a duobus his praebent speciem, ut iam ipse Schneiderus censere videatur, varia ac diversa singulis libris αἴτια fuisse exposita? — Itaque Schneideri de secundi aetiorum libri specie sententia non solum ea est, quae argumentis non satis sit comprobata, sed ea etiam, cui, cum ceteris quae statuit vir doctus, prorsus contradicat, omnino nulla adhibenda fides sit.

Deinde agones quaeritur, utrum primo an tertio aetiorum libro assignandi sint. Atque cum Hertzbergius[2]) propter fragmentum 29[3]) tertio eos libro tractatos fuisse contenderit, Schneiderus (p. 47) primo id factum esse comprobare stu-

---

1) Callim II p. 46: 'Itaque iure nobis videmur statuere quarto αἰτίων libro Callimachum de sacrorum publicorum *causis* exposuisse; ac faciliori etiam ratione de urbium *originibus* decerni potest'.

2) Comment. in Prop. p. 232.

3) Steph. Byzant. p. 104, 13: Ἀπέσας, ὄρος τῆς Νεμέας, ὡς Πίνδαρος καὶ Καλλίμαχος ἐν τρίτῳ. Ceterum ad comprobandam Hertzbergii sententiam non satis id esse argumenti vix opus est memoratu.

det argumentatione usus fere hac: Traditum est Phalacrae montis mentionem fecisse Callimachum in primo aetiorum libro[1]; in eodem autem monte Paridem expositum esse apud Colluthum exstat fabula.[2]) Porro: traditum est tauri alicuius mentionem fecisse Callimachum in primo aetiorum libro[3]); taurum autem aliquem in deliciis habuisse Paridem apud Hyginum exstat fabula (XCI). Ergo utrumque Callimachi fragmentum ad Paridem pertinere luce clarius est. Quo concesso, quoniam primi uterque locus libri est, quid verisimilius quam eo libro de ludis poetam egisse, quibus Priamus filii, quem mortuum esse opinabatur, manes reconciliare studeret; praesertim cum taurum illum praemii loco in illis ludis fuisse legamus. Si autem de eis ludis primo aetiorum libro egit, etiam omnes iunctim eo libro ludos tractavisse poetam consentaneum est. — Qua argumentatione quicquam probari nemo certe affirmaverit. Primum enim vocem ταῦρος et nomen Phalacrae montis in illis Callimachi fragmentis etiam ad alia multa pertinere posse argumenta quis neget? Deinde iure monet Rauchius[4]) illos ludos in honorem Paridis celebratos, cum semel tantum celebrati sint, nec posteriore tempore fuerint ludi, qui ab illis originem duxerint, omnino non aptum fuisse, quod in Aetiis tractaretur, argumentum.[5]) Sententia igitur Schneideri non

1) Schol. ADL. ad Il. VIII 48: τρία δέ εἰσιν ἀκρωτήρια τῆς Ἴδης, Λεκτόν, Γάργαρον, Φαλάκρη, τούτου μνημονεύει Καλλίμαχος ἐν πρώτῳ Αἰτίων.

2) Rapt. Helenae 14 seq.

3) Frgm. 13[b]: ταῦρον ἐριμύκην εἰς ἑνὸς ἀντερέτου, varie a compluribus viris doctis tentatum; qui vellem reputassent, num sanari omnino possit fragmentum, quod adeo ab utraque parte truncum est, ut quid eo dicere voluerit poeta, iam nullo modo possit perspici. Velut hariolatur Schneiderus, qui pro εἰς scribens εἷς dixisse poetam censet 'eum taurum a satellitibus Parim vindicaturum fuisse, si ab uno ipso eripiendus fuisset uni adversario'.

4) P. 7: Die Unmöglichkeit dass der Pseudohyginus den Aitien des Kallimachos folgte, ergibt sich aber sogleich daraus, dass er auch solche Spiele aufführt, welche, lediglich Erfindung epischer Dichter, nur einmal stattgefunden haben sollen und nicht die mythische Veranlassung in der historischen Zeit fortbestehender Feste geworden waren. Zu jenen gehört . . . die Leichenspiele zu Ehren des Paris.

5) Quod vero Schneiderus eius historiae αἴτιον fuisse dicit 'unde evenerit, ut in maioribus quibusdam agonibus, velut Olympiis et Pana-

solum non probata est, sed etiam per se satis videtur esse absona. Si autem de *his* ludis narratum fuisse primo aetiorum libro in dubitationem vocatur, iam tota Schneideri de eius libri argumento ὑπόθεϲιϲ collabitur.

Et ipse vir doctus suspicatus videtur esse, mira illa argumentatione legentium animis se non satisfacturum. Addit enim: 'interim largimur propter fragmentum 29 posse etiam ad tertium librum agones referendos esse putari'. At vero paulo post, id se largitum esse prorsus oblitus est; agit enim ita, tanquam argumentis constet certissimis non in tertio, sed in primo libro locum ludos habuisse. Nam ut ea tangam, de quibus mox accuratius erit disserendum, cum Schneiderus illorum Hygini capitum hanc constituerit dispositionem, ut id, quo de ludis agitur, primum locum teneat, num ei licet pro certo affirmare, eandem esse aetiorum atque capitum eorum dispositionem, nisi etiam in aetiis primum ludos locum tenuisse omni iam caret dubitatione? Num licet inde, quod eadem sit utrorumque dispositio, colligere capita illa ex Callimacho esse hausta?!

Sed quid refert, quam incerta sit Schneideri sententia, cum prorsus falsam eam esse satis dilucide comprobari possit. Exstat enim in schol. Venet. ad Il. XIII 66 illa de Aiace Oilei filio fabula in hunc fere modum narrata: iratam Minervam, quod in ipso eius templo Cassandrae vim attulerat, Grae-

---

thenaeis fierent βουθυϲίαι et κρεανομίαι', primum eum morem ad istos ludos a Priamo celebratos rettulisse Graecos nec ullo probatum testimonio et per se veri est dissimillimum; deinde e logica ratione ne licet quidem viro docto tale αἴτιον statuere. Nam cum uno libro sacra publica tractata fuisse statuat ita quidem, ut id ipsum, unde sacrum aliquod initium cepisset, cuiusque carminis αἴτιον fuisse opinetur: si alii libro ludos solemnes assignavisse poetam censet, oportet eum, si quidem sibi constare vult, id ipsum, unde originem duxerint ludi, singulorum eius libri carminum αἴτια fuisse arbitrari; nisi forte omnem Callimacho distribuendae materiae rationem derogare vult. Cum igitur nulli Callimachi aetate ludi essent, qui ab istis a Priamo celebratis ludis originem duxisse putabantur, totam de eis historiam ab aetiorum ratione alienam esse itaque non fuisse a Callimacho narratam in eo poemate sponte patet. Nec sane Schneiderus adeo logicam rationem violasset, nisi sua de Pseudohygino sententia obcaecatus fuisset; qua de re accuratius infra disputabimus.

corum classem magnis adflixisse tempestatibus multisque ceterorum oppressis ipsum Aiacem, concussa navi eiectum, ad saxa adpulisse. Ille vero cum ne tunc quidem defunctus superbia se quamvis invito deo servatum iri iactaret, tanta indignatum insolentia Neptunum scisso eum saxo undis submersisse. A Minerva autem praescriptum Locris esse, per mille inde annos ut expiandi sceleris causa virgines sorte destinatas ad supplicium Troiam mitterent. Sequitur: ἡ ἱστορία παρὰ Καλλιμάχῳ ἐν α΄ Αἰτίων. Paullo accuratius eadem narrat Tzetzes ad Lycophr. v. 1141, qui praeter cetera haec quoque tradidit: καὶ πρῶτον μὲν τὰς παρθένους, εἶτα τὰ βρέφη ἐνιαύσια μετὰ τῶν τροφῶν αὐτῶν ἔπεμπον οἱ Λοκροί. Χιλίων δὲ ἐτῶν παρελθόντων . . . ἐπαύσαντο τῆς τοιαύτης θυσίας . . . μέμνηται δὲ τῆς ἱστορίας καὶ ὁ Κυρηναῖος Καλλίμαχος. Vides aptissimum, quod carmine exponatur αἴτιον. Itaque proprium alicuius primi libri elegiae consilium fuisse statuo, ut narrata illa fabula, unde mos iste Locrorum originem duxisset, explicaretur. Quod si iure statui, unum habemus primi libri carmen, quod ad agones nullo pacto pertineat. At vero Schneiderus non fuisse primo libro tractatos agones ne sibi concedendum sit, illam fabulam fingit insertam fuisse elegiae, cuius proprium argumentum fuerint agones in honorem Patrocli ab Achille celebrati.[1]) Sed hac fictione quam monstrosa nascitur elegiae species! An revera putas ab Aiacis Ulixis Antilochi certamine exspatiatum esse poetam ad mortem Aiacis, multo post factam, et ab hac rursus rediisse ad ea narranda, quae vivo Aiace facta sunt? Eiusmodi excursus ne Callimacho quidem imputare licet, quamvis eius ingenium ad inserenda vel aliena carminibus suis inclinaret[2]); nec enim ullus exstat in ipsis

1) Ceterum iterum hoc loco moneo, quod iam supra de ea monui elegia, qua Schneiderus ludos in Paridis honorem celebratos tractasse poetam statuit: ludos semel tantum celebratos non esse argumentum aetiologicum nec licere viro docto e logica ratione aliud statuere aetion nisi, unde ludus aliqui solemnis initium ceperit.

2) Cf. elegantem illam Weidenbachii commentationem, in qua de hoc more Callimachi et de aliis etiam eius artificiis optime disseruit, velut de eo quod 'praeoccupare solet posteriora, ut inde flexo itinere regrediendo res antea gestas persequatur, donec rursus unde exordiebatur

poesis Callimacheae reliquiis excursus, quo temporum ratio adeo monstrose confundatur.[1]) Respuenda igitur Schneideri fictio et acquiescendum in eo, ut statuamus illam de Aiacis morte fabulam proprium fuisse elegiae alicuius argumentum ac pro aetio in eo carmine poetam habuisse, unde mos iste Locrorum initium cepisset.[2]) Iam vero, si unum videmus primi libri elegiam, quae ad agones non pertineat, iunctim tractatos fuisse eo libro agones affirmare non licet.

Iam de eo disserendum est, quod tertio libro εὑρήματα tractasse poetam Schneiderus statuit. Qui cum de ceterorum librorum argumentis quae disputavit 'certissima' esse dixerit, hunc quem statuit de inventis librum 'totum in coniectura positum esse' fatetur.

Neque quisquam mirabitur, dummodo 'certissima illa' quam incerta sint, perspexerit, si id, quod ipse vir doctus non certum esse concedit, omni argumentatione carere animadverterit. Sed mirum sane, quo iure vir doctus eam ipsam coniecturam, quam incertam esse modo concessit neque ullis instruxit argumentis, paullo infra ut 'probabilem' atque adeo 'verisimillimam' praedicare potuerit[3]). Quid quod eo temeritatis progressus est, ut pro certo eam venditarit argumento,

---

rediit'. Cui artificio cum illa in futurum tempus excurrendi ratione, quam Schneiderus Callimacho imputavit, nihil commune esse vix dicto opus est.

1) Notissimus est ille de Ariadna excursus, quem inseruit poeta suo de nuptiis Pelei et Thetidis poemati verso a Catullo LXIV. Sed ea narrantur tanquam multo ante facta, quorum memoriam spectantibus affert opertorium lecti genialis, in quo Ariadnam depictam poeta finxit. Itaque etiamsi nimius in eis narrandis Callimachus fuerit, tamen sana eum temporum ratione usum esse concedendum est. Quae contra esset temporum ratio, si a describendo lecto geniali exspatiatus esset poeta ad fata eius, qui ex illo nasciturus erat, deinde rediiset ad describendum lectum genialem!

2) Ac vide quantam rerum molem Schneiderus in unam illam quam finxit elegiam conferserit; vellem dixisset vir doctus quot milia versuum eam continuisse elegiam putaret; quid dico elegiam? id monstrum potius elegiacum!

3) II p. 49: 'nisi quod supra dixi, probabile mihi videri rerum etiam inventores a Callimacho fuisse celebratos; atque haec quidem omnia mihi veri videntur simillima'.

quo sua de Hygini illis capitibus sententia firmaretur. Itaque num omnino de inventis Callimachus scripserit, dubitare liceat, donec aliqua saltem argumenta afferantur.[1])

Venimus ad eam Callimacheorum partem, qua Schneiderus nonnulla, quae Hygini sub nomine feruntur, ex aetiis hausta esse contendit. Sunt enim in fine eius operis Hyginiani, quod fabularum nomine significari solet, quinque capita, quorum primum inscriptum est 'qui primi ludos fecerunt', alterum 'quis quid invenerit', tertium 'oppida qui quae condiderunt', quartum 'insulae maximae', quintum 'rerum inventores primi'.[2])

Quorum capitum Schneiderus antequam Callimachea edidit, multa quidem interpolata, summam tamen Hygini esse cum statuisset, posteriore tempore Bursiani[3]) disputatione eo redactus est, ut quendam secundi p. Chr. saeculi grammaticum et totius, quam congestam in fabulis vides, materiae mythologicae et eorum, de quibus quaeritur, capitum auctorem esse concederet; varie autem interpolatum librum esse et Bursianus statuit et Schneiderus persuasum habet. Atque summam eius operis quamdiu Hygini esse opinabatur, aliqua viro docto suppeditabat ratio, qua ingenua a spuriis discerneret. Scimus enim virum illum fuisse eruditissimum et adeo nobilem inter aequales locum tenuisse, ut inepta quae videntur ei adscribere non liceat. Iam si grammaticum quendam posterioris multo temporis, qui cuius ingenii fuerit, prorsus nescimus, auctorem esse constat, qua quis ratione usus alia spuria alia ingenua esse evincet?![4]) Tamen Schneiderus primum in secundo

---

1) Cf. Rauchium p. 6: Ein Buch der Erfindungen hat Schneider nur dem Cap. 277 bei Hyginus zu lieb angenommen; kein Fragment deutet darauf hin.

2) Hygini fabulae ed. Mauric. Schmidt, Jenae p. 149 et quae seq.

3) In Fleckeiseni annalium vol. XCIII p. 761 sqq.

4) Cf. Rauch p. 5: Diese Ansicht entbehrt vor Allem der kritischen sicheren Grundlage . . . Dass der sehr späte Grammatiker, welcher sie (scil. capita illa, de quibus sermo est) verfertigte, dabei nicht sowohl mythologische Handbücher und Scholien excerpirte als vielmehr aus den Dichtern selbst schöpfte, ist ganz undenkbar. — Id ipsum, quod equidem, Diltheyus monere videtur, cum dicat (Jenaer Literaturztg. p. 576): Wenn Schneider in der Zusatznote erklärt, er sei durch Bursian noch nicht abgebracht von der Meinung, ut cap. 273 ita etiam c. 275 et 276

capite quae continentur, omnia subditicia esse statuit; deinde quarti capitis et inscriptionem et stadiorum numeros, quibus insularum ambitus describuntur, interpolatos dicit eaque, quae relinquuntur, nuda nempe nomina, cum antecedenti capite ita esse coniungenda putat, ut etiam in eis auctor, quis eas insulas 'quasi condidisset', enarrare voluisse videatur. Quo modo ubi e quinque capitibus vir doctus tria effecit capita, miratus eundem esse in eis atque in aetiis rerum ordinem, ex his illa hausta esse colligit. Sed, ut iam dixi, argumenta, quae affert ad firmandam suam ἀθέτηϲιν, ut quadrant quodammodo in Hyginum, ita si ignotum secundi p. Chr. saeculi grammaticum auctorem esse concedis, omni iam carent vi.[1]) Et valde equidem miror, quod vir doctus, cum in adnotatione (p. 52) posteriore tempore addita Hyginum non esse auctorem concesserit, tamen in contextu[2]) ita rem gerit, ac si hac sua concessione argumenta, quae protulit, nullo modo afflictarentur. Ergo cum ex arbitrio potius quam via ac ratione istam vir doctus capitum illorum dispositionem constituerit, omnino nihil inde colligi posse sponte patet.

Hac ubi ratione tria illa capita ex aetiis hausta esse demonstrare frustra conatus est, peculiare de primo capite argumentum affert. Est enim apud Suidam (II 1 p. 349) locus hic: Κόροιβοϲ ὄνομα κύριον καὶ μωρόϲ τιϲ μετρῶν τὰ κύματα. Καλλίμαχοϲ· τὸν ὄγδοον ὥϲ τε Κόροιβον (frgm. 307). Quaeritur, cum tres fuerint eius nominis homines, qui sit intellegendus apud Callimachum Coroebus. Phrygem, eum ipsum, quem dicit

item c. 277 Callimachi doctrinam subesse, obwohl die Interpolation hier abändernd und zusetzend so unverschämt gewirthschaftet habe . . . dass der Kallimachusgehalt so ziemlich verflüchtigt sei, so will ich nicht fragen: wo bleibt alsdann der Werth von Schn.s Hypothese? sondern: wo bleibt die logische Berechtigung derselben, wo bleiben nunmehr die Indizien, dass der frühere Bestand dieser Capitel aus Callimachus abgeleitet gewesen?

1) 'Neque enim dubium esse potest, quin eorum capitum alterumutrum suppositicium sit. Utrum autem dicat, nemo incertus haerebit, ubi demonstravero praeter primi (273) capitis finem etiam secundi capitis materiam e Vergilio esse haustam. nam ita e Vergilio pendere voluisse *Hyginum eruditissimum virum* prorsus est incredibile' p. 50.

2) Verbotenus e programmate (1851) in Callimachea transiecto.

Suidas, intellexerunt Schneidewinus[1]), Iahnius[2]) et iam antea Ruhnkenius[3]), acquiescentes, ut videtur, in eo, quod e Suidae loco apparere videbatur. Quorum sententiam ut refellat probetque simul illum potius Eleum, qui primus in ludis Olympiacis vicit, intellegendum esse, haec dicit Schneiderus p. 528: 'quod Suidas post Κόροιβος ὄνομα κύριον addit καὶ μωρός τις etc., ipsam particulam copulativam docere putamus olim hic plures eius nominis homines enumeratos fuisse, e qua enumeratione a Suida et fatui memoria servata fuerit testimonio non addito et Callimachi testimonium remanserit sine homine suo'. Placet igitur Schneidero fuisse apud eum, quem Suidas secutus est, verba fere haec: Κόροιβος, ὄνομα κύριον, καὶ μωρός τις — sequitur scriptoris cuiusdam nomen — καὶ Ὀλυμπιονίκης, Καλλίμαχος· τὸν ὄγδοον ὥς τε Κόροιβον. At num quid offendit in illo καί, si ita interpretamur, ut quos attuli viros doctos interpretatos esse haud dubie existimo: praeter nobiliorem illum Olympionicen fuit *etiam* fatuus quidam, eo nomine qui praeditus erat? Sic vero si interpretamur, nulla iam causa est, cur Suidam etiam hoc loco 'pecudem' se gessisse et Callimachum fragmento illo eius potius Coroebi, qui primus Olympiae vicit, quam fatui illius mentionem fecisse statuamus. Si autem fatuum dixisse Callimachum verisimilius est, iam tota humi iacet Schneideri argumentatio. Cuius tamen quae restant afferam, ne uno tantum pede claudicare videatur: Callimachus Coroebi illius Elei mentionem fecit; nullo autem loco aptius eum memorare poterat, quam in primo aetiorum libro, quo de ludis egit; si vero ad hunc librum fragmentum illud revocandum est — quam mira inter Hyginum et Callimachum similitudo! Dicit enim ille: 'octavo loco fecit Hercules Olympiae gymnicos' (Schmidt p. 147) atque eadem prorsus ratione hic: 'τὸν ὄγδοον ὥς τε Κόροιβον'. Quid enim verisimilius quam dixisse poetam in hunc fere modum: 'deinceps canamus agonem Olympiacum, quem Ἡρακλέης ἔστησε τὸν ὄγδοον, ὥς τε Κόροιβον celebrent ut primum victorem'. Inter-

1) Ad Paroemiogr. I p. 101 et II p. 483.
2) Herm. vol. II p. 249.
3) Epist. ad Ernest. p. 17.

pretatio satis mira, ut iam monuit Rauchius p. 5.[1]) An apte putas in exordio elegiae, qua ludi Olympiaci originem tractaturus poeta est, eius mentionem fieri hominis, qui cum multis saeculis post exstiterit, ad ludorum originem nullo modo pertineat. Iam si recte Schneiderum fragmentum illud interpretatum esse iure negamus, etiam inde apparet, quam statuit inter Callimachi et Hygini verba similitudinem omnino esse nullam.[2]) Vides igitur, quam infirmis vir doctus hoc quoque loco utatur argumentis, neque eum probasse, quod probandum sibi proposuit: Pseudohygini illa capita eius, quae in aetiis fuerit doctrinae, esse reliquias. Quid plura? Etenim fac recte illud fragmentum interpretatus esset verumque eorum capitum restituisset ordinem, ne tunc quidem ex aetiis ea hausta esse concederem, quoniam eundem αἰτίων ordinem non fuisse satis certis argumentis demonstrasse mihi videor.

1) Verba eius sunt: 'Kallimachus hätte demnach die Sage von der Gründung der Olympien durch Herakles mit der von ihrer Erneuerung durch Iphitos begonnen'.

2) Quae cum ita sint, nil me morabitur, quae intercedit inter Hygini ludorum enumerationem et eam, quam in Aristot. peplo fuisse schol. ad Aristid. p. 323 Dind. tradidit, similitudo. Nam licet pendeat quodammodo Hyginus ab Aristotele, Callimachum eum esse, a quo illam Aristotelis doctrinam repetiverit, a Schneidero non solum non probatum, sed si meis fides habenda argumentis, prorsus est incredibile.

Caput tertium.

Iam fessis assiduo nobis certamine paulum liceat mentem remittere et ad ea aggredi exponenda, quae nobismet ipsis de aetiis vel sciri vel probabiliter coniectari posse videantur. Quem locum non ita instituendum esse putavi, ut perlustrata tota fragmentorum mole quaererem, quae singula in aetiis argumenta poeta tractavisset. Huic enim quaestioni adeo accuratam Rauchius operam navavit, ut denuo eam tractare mea quidem sententia supervacaneum sit. Immo satis sit in universum de aetiorum ratione et argumento allato hic illic exemplo iudicium ferre. Qua in re si pauca tantum sciri posse apparebit, ne mihi id crimini, oro, ducatur; nam melius profecto in eis, quae probabiliter concludi possunt, acquiescere quam, id quod Schneiderum[1]) commisisse vidimus, neglecta et ratione et aurea illa 'nesciendi arte' hariolari.

---

1) Qui certe, cum sua de Hygini illis capitibus sententia confisus et ingenti fragmentorum numero ad aetia temere revocato non tam, quae fuerit eorum ratio, adumbraverit quam sententiarum ordinem, quem singulis poeta carminibus secutus esset, accurate protulerit, Schneiderianae potius quam Callimacheae poesis specimina edidisse videtur. Ne tamen eius placita fastidiose potius respuisse quam diligenter refellisse videamur, praeter ea, quae supra tetigi, aliud afferre liceat exemplum: illam de Lino historiam, quam peculiari poetam carmine tractasse iure statuit Rauchius p. 12, Schneiderus (p. 62, 63) ei insertam fuisse opinatur elegiae, qua de Danao ludorum Argivorum auctore poetam exposuisse sibi finxit. Sunt enim Pseudohygini verba haec: 'Quinto loco Argis, quos fecit Danaus Beli filius filiarum nuptiis cantu, unde hymenaeus dictus'. Concludit vir doctus e verbis 'unde hymenaeus dictus' quae plane aliter explicanda esse infra ostendam, primarium eius elegiae argumentum fuisse mortem Hymenaei. At vero multarum de Hymenaeo quae feruntur fabularum ne unam quidem ad Danaum eiusque filias pertinere invenio; neque ipse Schneiderus exposuit, qua ratione cum

Atque primum *elocutionem* Callimachi in aetiis eam fuisse, quae Propertio et Luciano ut *inflata* displiceret, id in eis, quae antecedunt, satis me probabiliter demonstrasse arbitror. Nec video equidem, qui Diltheyus[1]) Luciani iudicium ad argumenta potius Callimachi quam ad elocutionem referre potuerit. Nam certe non id Cyrenaeo crimini dat Lucianus, quod monstruosas horrendasque res commemoret, sed quod *luxurietur* in memorandis eis, i. e. quod amplificando singula et exornando verbosus fiat atque inflatus. Quae 'inflata' dicendi ratio qualis fuerit, ut eo magis appareat, nonnulla iam libet exempla afferre partim ex Aristaeneti Cydippae metaphrasi partim ex Catulli desumpta carmine LXIV, quod etsi, heroico nempe numero scriptum, ex aetiis repetitum non est, tamen, cum et ipsum epici sit argumenti, eandem atque illa elocutionem praebere consentaneum est. Atque ineunte Aristaeneti epistola quae inveniuntur praeconia formae Cydippae et Acontii inflata esse nemo negaverit. Sunt enim verba haec: 'τὴν μὲν ἅπασι τοῖς ἑαυτῆς φιλοτίμοις κεκόσμηκεν Ἀφροδίτη, μόνου τοῦ κεστοῦ φεισαμένη· καὶ τοῦτον πρὸς τὴν πάρθενον εἶχεν ἐξαίρετον ἡ θεός. καὶ τοῖς ὄμμασι Χάριτες οὐ τρεῖς

Danao poeta Hymenaeum coniungere potuisset. Sed ne hoc uno Schneideri expositionem laborare opineris, iam pergit verbis his: 'et quum a Lino non minus quam ab Hymenaeo carminum genus nomen traxerit, ad eius fabulam hic puto Callimachum esse exspatiatum'. Deinde non solum septem fragmenta, quae iam antea Heckerus ad Linum pertinere affirmaverat, ex eo quem statuit excursu deprompta esse concedit, sed etiam alia sex septem illis de suo addit. Vellem dixisset vir doctus, quot fere eius carminis versus ad proprium argumentum, quot ad excursum illum pertinuisse censeret, quo, quam monstrosa ex eius sententia fuerit poesis Callimachea, etiam magis appareret. Equidem vero Pseudohyginum statuerim in graeci cuiusdam grammatici libro verba legisse fere haec: 'ὕμνοις ὅθεν Ὑμέναιος ἐπωνόμασται' eaque neglecto etymo in latinum sermonem vertisse: 'cantu, unde etc'.

1) De Call. Cydippa p. 22: 'unde repetas, quod apud Martialem X 4 aliqua veritatis superlatione aetia Callimachi abstrusa quaelibet ac portentosa et a cotidiana vita remotissima significant. Quo et Luciani redit fere (sic!) crimen, Callimachum monstruosas horrendasque res luxuriantem depingere'. Vides, qua vir doctus ratione eam vocem, quam ex Luciani verbis urgere delebat, 'luxuriantem' nempe, quasi nullius esset momenti, represserit.

καθ' Ἡcίοδον ἀλλὰ δεκάδων περιεχόρευε δεκάc. τὸν δὲ νέον ἐκόcμουν ὀφθαλμοὶ φαιδροὶ μὲν ὡc κόρου, φοβεροὶ δὲ ὡc cώφρονοc, καὶ φύcεωc ἔρευθοc εὐανθὲc ἐπιτρέχον ταῖc παρειαῖc. Nonne verbosum est illi 'μόνου τοῦ κεcτοῦ φειcαμένη' addi enuntiatum 'καὶ τοῦτον πρὸc τὴν παρθένοc εἶχεν ἐξαίρετον ἡ θεόc', prorsus nempe inane et eo tantum consilio additum, ut antithesis illa πρὸc τὴν παρθένον — ἡ θεόc, satis certe frigida, locum habeat? Quae sequuntur inflatae illae oculorum Cydippae et Acontii eiusdemque genarum laudationes, eas Callimacho deberi negat quidem Diltheyus[1]) commotus nimirum verbis, quae apud Musaeum inveniuntur, his: 'οἱ δὲ παλαιοὶ τρεῖc Χάριταc ψεύcαντο πεφυκέναι· εἷc δέ τιc Ἡροῦc ὀφθαλμὸc γελόων ἑκατὸν Χαρίτεcci τεθήλει' et hoc Xenophontis Ephesii loco: 'ὀφθαλμοὶ γοργοί, φαιδροὶ μὲν ὡc κόρηc, φοβεροὶ δὲ ὡc cώφρονοc'. Sed inde qui concludit ea praeconia e duobus his hausta esse, haud scio an temere concluserit. Quid enim obstat, ne ipsis Xenophonti et Musaeo ea scribentibus Callimachea obversata esse verba statuamus[2]), ut quae intercedit inter ea et Aristaenetum similitudo, inde potius, quod eodem fonte utebantur, orta sit? Quod mihi quidem multo verisimilius videtur esse quam aberrasse rhetorem a proposito sibi opere ad aliena; praesertim cum, quam presse Callimachum, quam fere verbotenus secutus sit, supra viderimus.[3]) Neque inde quod Aristaenet. II 21 p. 193 verba sunt haec: 'καὶ φύcεωc αὐτόcκευον ἔρευθοc ἐπιτρέχει ταῖc παρειαῖc' sequitur, ut similis ille metaphrasis locus: καὶ φύcεωc ἔρευθοc εὐανθὲc ἐπιτρέχον ταῖc παρειαῖc 'ex ipsius sophistae officina prodierit'. Quidni enim utroque eum loco Callimachi vestigia pressisse statuamus?

Alterum inflatae elocutionis exemplum hoc: 'καὶ τοcοῦτον ἐξεφοινίχθη τὸ πρόcωπον ὡc δοκεῖν, ὅτι τῶν παρειῶν ἔνδον εἶχέ

---

1) Dilthey de Callim. Cydippa p. 31 et 32.

2) Cf. Rohde p. 152: Wo sie doch einmal diejenigen Merkmale der Schönheit, in welcher vorzüglich ihr bewegliches Leben und der Zauber ihrer augenblicklichen Wirkung liegt, anzudeuten unternehmen, da bewegen sie sich in den Metaphern einer galanten Kunstsprache, welche in ihrem wesentlichen Bestande jedenfalls von den Erotikern der hellenischen Zeit ausgebildet und festgestellt war.

3) Cf. supra p. 19 sq.

τινα ῥόδων λειμῶνα καὶ τὸ ἐρύθημά τοῦτο μηδὲν τῶν χειλῶν αὐτῆς διαφέρειν'.[1]) Tertium hae dulciculae arborum compellationes, quae omnium maxime rationem redolent Callimacheam: εἴθε, ὦ δένδρα, καὶ νοῦς ὑμῖν γένοιτο καὶ φωνή, ὅπως ἂν εἴπητε μόνον 'Κυδίππη καλή'· ἢ γοῦν τοσαῦτα κατὰ τῶν φλοιῶν ἐγκεκολαμμένα φέροιτε γράμματα, ὅσα τὴν Κυδίππην ἐπονομάζει καλήν. Posteriori enuntiato statim addam ipsa Callimachi verba forte servata: 'ἀλλ' ἐνὶ δὴ φλοιοῖσι κεκομμένα τόσσα φέροιτε γράμματα, Κυδίππην ὅσσ' ἐρέουσι καλήν.'[2]) Quanta in his verborum abundantia! Quam moleste sane variata eadem sententiola! Et paulo infra: 'ἀλλ' ὦ φίλτατα δένδρα, τῶν ἡδυφώνων ὀρνίθων οἱ θῶκοι, ἆρα κἂν ὑμῖν ἔστιν οὗτος ὁ ἔρως, καὶ πίτυος τυχὸν ἠράσθη κυπάριττος ἢ ἄλλο φυτὸν ἑτέρου φυτοῦ; μὰ Δία, οὐκ οἶμαι· οὐ γὰρ ἂν ἐφυλλοροεῖτε καὶ τοὺς κλάδους ἁπλῶς ὁ πόθος κόμης ὑμᾶς καὶ ἀγλαΐας ἐψίλου, ἀλλὰ καὶ μέχρι στελέχους τε καὶ ῥιζῶν ὑπονοστήσας τῷ πυρσῷ διικνεῖτο'. Quam paene ridicula in exprimendo affectu luxuria! Denique exeunte epistola haec sunt: ἄμφω δὲ λαμπροῖς ὄμμασιν οἷον ἀστέρες ἀνταυγοῦντες ἀλλήλοις φαιδρότερον τῆς ἀλλήλων ἀπέλαυον ἀγλαΐας. Vides notionem fulgoris tribus eandem vocibus expressam atque adeo comparatione esse auctam.

Catull. LXIV 38 ut spectaturos splendorem apparatus nuptialis rura deseruisse agricolas exponat, his utitur verbis e Callimachi videlicet epyllio translatis[3]):

Rura colit nemo, mollescunt colla iuvencis,
Non humilis curvis purgatur vinea rastris,

1) Hunc locum etiam Diltheyus e Callimachi Cydippa transtulisse Aristaenetum persuasum habet, quamvis huic quoque simillimi inveniantur et Musaei et Nonni loci. Ac pro argumento affert, *quod locus hic insigniter conveniat Callimacho*, cum illa formositatis praeconia inania sint nec apta 'ad aliquam imaginem animo informandam'. Sed mihi fateor utrumque locum aeque videri inflatum; nec vero id largior Diltheyo, ut quae ex Aristaeneti epistola inflata videantur, Callimacho abiudicet ut eo indigna. Nam ex eis, quae tradita sunt, iudicium potius quam e iudicio ea, quae tradita sunt, in dubitationem vocare fas est. — Ceterum cf. Callim. lav. Min. 27.

2) Schol. ad Aristoph. Acharn. v. 144.

3) Cf. Riesius quae disputavit in Mus. Rhen. vol. XXI, 1866, p. 498 sqq.; quem secutus est Weidenbachius l. l. p. 10.

Non glebam prono convellit vomere taurus,
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram,
Squalida desertis rubigo infertur aratris.

Etiam hoc loco ter idem expressum est: *agros non coli*; primum verbis 'mollescunt colla iuvencis', deinde uberius: 'non glebam prono convellit vomere taurus', tum 'Squalida desertis rubigo infertur aratris'.

Alterum nimiae abundantiae exemplum hoc:

Non prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam cuncto concepit corpore flammam
Funditus atque imis exarsit tota medullis.

Tum quas deserta a Theseo Ariadna fundit querelas, maxime esse inflatas negari nequit; velut hoc quam verbose dictum:

Quaenam te genuit sola sub rupe leaena,
Quod mare conceptum spumantibus expuit undis,
Quae Syrtis quae Scylla rapax, quae vasta Charybdis

multaque alia, quae enumerare longum est.

Talia igitur ante oculos habuisse Propertium et Lucianum puto, cum illa in Callimachi elocutionem crimina ederent. Itaque e nostro quoque numero ei quidem, quorum iudicium in intuenda admirandaque antiquiorum poetarum simplicitate conformatum est, persuasum habeant, inflatiorem fuisse aetiorum elocutionem, quam quae sibi, si illud poema servatum memoriae esset, placere posset. Satis haec de elocutione.

Atque de ceteris cum acquiescendum fere in eis arbitrer, quae iam ante Schneiderum pernota inter viros doctos fuerunt, paucis ea verbis absolvere libet. Itaque praeter numerum elegiacum, de quo nulla iam dubitatio est, hoc constat, fuisse aetia collectionem eiusmodi fabularum, quibus enarratis, unde memorabiles quaedam res originem duxissent, appareret. Atque eae res quales fuerint, docet Propertius, qui V 1, 69 Romanas se 'causas' dicturum Romanumque Callimachum exstiturum esse professus versum prodit hunc: 'Sacra diesque canam et cognomina prisca locorum'. Eadem igitur Cyrenaeus expli-

canda sibi proposuisse putandus est.[1]) Fabulas vere cuius potissimum generis poeta narrandas sibi elegisset cum quaererem, non placuerunt quae Diltheyus innixus Callimachi epigrammate XXX[2]) prodidit haec: 'Cyrenensem in aetiis remotos obrutosque fabularum fontes adiiss ac reconditae doctrinae non nisi a paucissimis possessae horrea aperuisse'. Nam etsi et ipse multas eiusmodi fabulas, quas dicit vir doctus, in aetiis tractatas fuisse crediderim[3]), tamen cum de Aiace quoque, Cassandrae qui vim attulit et de funesta Icari sorte egisse poetam ex ipsis aetiorum fragmentis appareat[4]), nobiliores eum fabulas opere suo non plane exclusisse concedendum erit.[5]) Ceterum tales fabulas, qualis illa de Cydippae et Aconti amore, quippe quae ad mortalium potius fata quam ad deos heroesque pertineat, paucas tantum vel praeter illam fere nullas in aetiis tractatas fuisse docet illud incerti auctoris epigramma (Anth. Pal. VII 42), in quo argumentum aetiorum verbis significatur 'ἀμφί τε ἀθανάτουϲ ἀμφί τε ἡμιθέουϲ. Nec sane Martialis X 4[6]) tam fastidiose aetia

---

1) A Propertio proficiscendum esse intellexit iam Diltheyus l. l. p. 165 'nobis hac in causa perquam lubrica tutum unice habemus a certo ordiri Propertii testimonio'. Cf. Rauch. p. 1.

2) Ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικὸν οὐδὲ κελεύθῳ
χαίρω, τίϲ πολλοὺϲ ὧδε καὶ ὧδε φέρει.
μιϲέω καὶ περίφοιτον ἐρώμενον οὐδ᾽ ἀπὸ κρήνηϲ
πίνω· ϲικχαίνω πάντα τὰ δημόϲια.

3) Velut illam, qua cur Diana ab Arcadibus Ἀπαγχομένη dicta esset explicabatur; cf. fragm. 3 Clem. Alex. Protrept. p. 32 Potter.: Ἄρτεμιν Ἀρκάδεϲ Ἀπαγχομένην καλουμένην προϲτρέπονται ὥϲ φηϲι Καλλίμαχοϲ ἐν Αἰτίοιϲ. Neque enim verisimile, id quod Schneiderus statuit, tam singularem cultum in transcursu potius attigisse poetam quam data opera explicavisse.

4) Cf. fragm. 5 et fragm. 13d Schneider.

5) Cuius sententiae socium habeo Naekium Call. Hec. p. 67, qui postquam aetion aliquod id explicasse affirmavit, 'unde Scyllaeum dictum' addit haec: 'Quod si quis obiiciat Scyllaei appellationem promontorii ita fuisse tritam omnibus, ut eam vix dignam explicatione habuisse doctus poeta Callimachus videatur, reputandum est, si cupidissime Callimachus obscuras fabulas reconditas ex situ antiquitatis eruerit, non sequi necessario, ut notas celebratasque ab aliis fabulas studiose evitaverit'.

6) Supra citatum p. 7 adn. 1.

memoravisset, si humana argumenta plura in eis tractata fuissent. Deinde Rohdius suspicari videtur haud parvum *amatoriarum fabularum* in aetiis fuisse numerum.[1]) Quod ut credat, quasi cogitur illis Ovidii et Propertii locis, quibus Callimachus ut tener poeta amantibus commendatur. Sed eos cum ad elegos potius Cyrenaei quam ad aetia referendos esse demonstraverimus, iam fundamento carere viri docti sententiam manifestum est. Itaque quamvis fuisse quasdam in aetiis eiusmodi fabellas negari nequeat[2]), tamen praevaluisse ea argumenta — id enim Rohdio ad aetia illos locos referenti statuendum erat — nequaquam putaverim, praesertim cum ex omnibus, quae tradita sunt, aetiorum fragmentis praeter Cydippae fragmenta unum tantum manifesto ad amatorii argumenti historiolam pertineat.[3])

Haec habui, quae de aetiorum argumento dissererem; videamus de ratione. Ac distributam fuisse aetiorum materiam in quattuor libros inde verisimile est, quod cum primum, secundum, tertium, quartum librum compluries memoratos inveniamus, quinti libri mentio fit nulla. Deinde in singulis

---

1) P. 80: Wenn man den hohen Ruhm bedenkt, den Kallimachos gerade als erotischer Dichter bei den Römern genoss, so sollte man in jener Sammlung elegischer Erzählungen, auf die sich jener Ruhm doch ganz vorzüglich gründete, noch mehrere dergleichen Liebeslegenden anzutreffen erwarten. Ein Zufall mag es daher sein, dass sich in den uns erhaltenen Ueberresten nur sehr geringe Anzeichen . . . finden.

2) Velut Hippolyti fabula, cf. fragm. 7. Iure statuit Rauchius peculiari elegia de Hippolyti morte egisse Callimachum; nam nisi id ipsum, quod Vergil. Aen. VIII 778 commemorat, pro aetio Cyrenaeus habuisset, profecto non his Servius usus esset verbis: 'exponit τὸ αἴτιον; nam Callimachus scripsit Αἴτια, in quibus etiam hoc commemorat'; aliter Schneiderus p. 72 et 73. Quae praeter hoc fragmenta affert Rohdius p. 89 adn. 2, ad amatoria argumenta pertinere concedo; at in aetiis ea fuisse nullo comprobatum argumento est. Quid enim obstat, ne in 'elegis' Cyrenaeum eas tetigisse fabellas statuamus, velut etiam Propertius 'elegorum' imitator satis frequenter mythicorum amorum memoriam carminibus suis inseruit.

3) Etiam Phyllidis historiam video probabiliter nuper ad aetia esse relatam a Knaakio (diss. inaug. Gryphiswald. 'Analecta Alexandrino-Romana' p. 30).

libris plures narratas fuisse fabulas, quarum suum quaeque aetion habebat, per se satis patet. Quaeritur tantummodo, utrum uno tenore poeta singulos libros continuaverit, an peculiare unaquaeque elegia absolutumque fuerit carmen. Illud probatum est praeter Heckerum[1]) Hertzbergio (quaest. Prop. II cap. 7 p. 196) qui vellem non prorsus abstinuisset argumentis; hoc placuit Schneidero, Rauchio, Diltheyo, qui iure monet tria illa Propertiana aetia (V 2, 4, 9) eam praebere speciem, ut et ipsa et ea, quorum ad exemplar composita sunt, integra carmina ac per se absoluta fuisse videantur.[2]) Ceterum ita Callimachum opus suum instituisse, ut suam cuique libro materiam affinitate quadam congenerem assignaret, neque e fragmentis concludi potest neque aliunde efficitur. Quamquam ne ipse quidem omnino nullam fuisse in aetiis dispositionem pro certo affirmaverim; nam nihil obstat, quin pro regionum affinitate poeta fabulas illis adstrictas disposuisse putetur. Itaque haec quidem quaestio in medio relinquenda videtur esse.

De compositione et structura elegiacorum Callimachi poematum cum alii viri docti disseruerunt tum nuper Weidenbachius[3]), qui innixus inprimis Catulliano illo de Pelei

---

1) Comm. Callim. p. 50 his nisi fallor verbis: 'nec opinor Hecale carmen fuit magis continuum quam Aetia; si enim tale carmen erit illud, quod semper eandem materiam tractat, Aetiorum quoque argumentum continuam dicere possis veterum fabularum expositionem'. Quibus praeter cetera probare studet vir doctus non Hecale sed Aetiis compositis eos refutare voluisse Callimachum, qui infirmi eum magnisque carminibus condendis imparis ingenii esse credebant.

2) Ceterum falso idem fragmentum 120: Χαῖρε βαρυςκίπων ἐπίτακτα μὲν ἑξάκι δοιά | ἐκ δ' αὐταγρεςίης πολλάκι πολλὰ καμών collato Propertii versibus V 9 exeunte carmine: 'Sancte pater, salve, cui iam favet aspera Iuno, Sancte velis libro dexter inesse meo' ad aetiorum alicuius elegiae finem revocavit. Nam etiam medio carmini tales deorum compellationes Callimachum inseruisse apparet e Catull. 64, 22. Neque placet, quod tertio loco affert argumentum: 'accedit quod Cydippa, ni integrum fuisset carmen, non ita ut videmus ab Ovidio Iliadi opponi potuisset'. Non enim Iliadi opponitur Cydippa sed Achilli, ut potius de persona in aetiis celebrata quam de carminis titulo cogitandum esse videatur.

3) L. saepius l. p. 11.

Thetidisque nuptiis carmine, id praeter cetera monuit inclinasse poetam ad lyrica quasi cantica epicis suis argumentis inserenda. Et id quidem ut demonstretur praeter illud poema afferri possunt etiam Prop. V 4, quo in carmine vide, quot versibus Tarpeia querelas suas effundat, et ipsa Cydippa, in qua quam abundanter querentem Acontium fecerit Callimachus, ex Aristaeneto cognosci potest.[1])

Iam restant pauca de aetiorum prologo exponenda. Quem qua ratione instituerit poeta, satis diserte docet illud, cuius supra mentionem feci, epigramma[2]) verbis his: Βαττιάδαο σοφοῦ περίπυστον ὄνειαρ et εὖτέ μιν ἐκ Λιβύης ἀναείρας εἰς Ἑλικῶνα ἤγαγες ἐν μέσσαις Πιερίδεσσι φέρων. Constat igitur Callimachum exordii loco somniantem se finxisse somnoque e Libya ad Heliconem delatum; atque in eo monte cum ipsis collocutum Musis tantam fabularum se cognovisse copiam. Neque plura de ea re facienda verba essent, nisi Heckerus[3]) accuratiorem eius prologi notitiam sibi videretur percepisse e fragmento 138: 'καὶ τὸν ἐπὶ ῥάβδῳ μῦθον ὑφαινόμενον ἠνεκὲς ἀείδω δειδέγμενος'. Quod quia propter elegiacos numeros ad Hecalen referri nequeat, ad aetiorum prologum revocandum esse censet, itaque hunc fere in eo fuisse sententiarum nexum: 'Nonnulli artis poeticae plane ignari mihique adeo inimici lingua cavillatrice calumniati sunt me, quia nullum carmen maioris ambitus composui[4]), tali carmini scribendo imparem

1) Ceterum veri fines paulum egressus videtur esse Weidenbachius, cum dixerit: 'epicas istas narrationes *ideo tantum subiectas esse* carminibus, ut ad eas annecterentur lyrici versus, ut quibus unis elegiae vis ac natura contineatur'. Nam etiam in ipsis illis narrationibus gloriari potuisse 'artem' Alexandrinorum consentaneum est inprimis in describendis rebus atque personis.

2) Totum hic epigramma afferre libet: Ἆ μέγα Βαττιάδαο σοφοῦ περίπυστον ὄνειαρ | ἦ ῥ' ἐτεὸν κεράων οὐδ' ἐλέφαντος ἔης. | τοῖα γὰρ ἄμμιν ἔφηνας, ἅτ' οὐ πάρος ἀνέρες ἴδμεν | ἀμφί τε ἀθανάτους ἀμφί τε ἡμιθέους, | εὖτέ μιν ἐκ Λιβύης ἀναείρας εἰς Ἑλικῶνα | ἤγαγες ἐν μέσσαις Πιερίδεσσι φέρων. | αἱ δέ οἱ εἰρομένῳ ἀμφ' ὠγυγίων ἡρώων | Αἴτια καὶ μακάρων εἶρον ἀμειβομέναι. Anthol. Pal. VII 42.

3) Comm. Call. p. 50.

4) Fragm. 287: εἵνεκεν οὐχ ἓν ἄεισμα διηνεκὲς ἤνυσα.

esse. Hos ego cavillatores, etsi opera poetica non longitudine sed praestantia metienda esse putem[1]), mendacii nunc evinco et longum carmen facere aggredior etc.'. Quod quominus probemus, primum id prohibet, quod, cum elegiacis aetia numeris conscripta fuerint, non potuerunt dici μῦθος ἐπὶ ῥάβδῳ ὑφαινόμενος, quae quantum equidem scio, ad epica tantum carmina quadrant.[2]) Deinde non adeo neglegenda videntur scholiastae illius, qualicunque fuit ingenio, verba haec: 'Ἐγκαλεῖ διὰ τούτων τοὺς σκώπτοντας αὐτὸν μὴ δύνασθαι ποιῆσαι μέγα ποίημα, ὅθεν ἠναγκάσθη ποιῆσαι τὴν Ἑκάλην' Schol. Call. hymn. in Ap. 106. Nam licet suo iure hoc de eo iudicium Valckenarius tulerit: 'Scholia recentioris cuiusdam grammatici foetus et nullius ponderis ad Callimachum explicandum' — at eo, de quo quaeritur, loco omnino non versatur in *explicando* scholiasta, verum simplicem tradit de Cyrenaei vita notitiam; ac profecto quanto quis iudicio stupidior, tanto in eiusmodi rebus tradendis fide certior. Tamen si firmo quis usus argumento mendacii eum argueret, ipse quem nunc defendendum puto, respuerem. Sed fragmento innixum, quod quo in poemate sedem habuerit quaque ratione a poeta sit dictum incertum est, certam reiicere et ab omni parte perspicuam memoriam, ea mihi omnium pessima videtur esse ratio. — Ceterum aliquanto modestius se gessit Heckerus quam Schneiderus, qui tam integram perfectamque prologi speciem ante oculos ponit[3]), ut ipsum ad Helicona abreptum a Musis, quae dictavissent Callimacho, sciscitatum esse diceres. Omissa enim omni argumentatione viginti sex fragmenta ad aetiorum prologum referenda esse 'decrevit', quorum tamen duo tantum eam praebent speciem, ut, qua de causa id fecerit, intellegi possit.[4])

---

1) Fragm. 506: μὴ μετρεῖν σχοίνῳ Περσίδι τὴν σοφίην.

2) Schol. Pindar. Nem. II 1: τοὺς ῥαψῳδοὺς οἱ μὲν ῥαβδῳδοὺς ἐτυμολογοῦσι διὰ τὸ μετὰ ῥάβδον δηλονότι τὰ Ὁμηρικὰ ἔπη διεξιέναι; Cf. Dilthey p. 26.

3) Callimachea II p. 115.

4) Fragm. 522: ·Μούσῃσι γὰρ ἦλθεν ἐσόβδην. Fragm. anon. 114: τῶς δ' ἐφθέγξατο Καλλιόπεια.

Vides igitur ut in ceteris omnibus, quae ad aetia pertinent, ita in hac quoque re Schneideri doctrina nil veritatem profecisse, immo obscuratam potius esse ac tenebris obrutam. Quas ad disiciendas tenebras si ego quoque aliquantulum contulisse videbor simulque haec praeter cetera demonstrasse

primum: *praeter aetia etiam molles qui dicuntur elegos scripsisse Callimachum,*

deinde: *ipsorum aetiorum elocutionem fuisse inflatam* —

meum haud irritum fuisse laborem arbitrabor.

01

Vita.

Natus a. 1856 Pragae quarto aetatis anno parentibus domicilium mutantibus Gissam perveni, ubi primis litterarum elementis imbutus sum. Lipsiam cum transmigrasset pater, scholae me educandum tradidit Thomanae, quam a. 1875 absoluto maturitatis examine reliqui. Ex illo tempore adscriptus fui universitatibus Tuebingensi, Berolinensi, Lipsiensi atque audivi professores Teuffel, Schwabe, Kirchhoff, Vahlen, Nitzsch, Ritschl, Curtius, Eckstein, Lange, Voigt, Heinze, quibus hac data occasione gratias ago maximas. Finitis studiis philologicis absolutoque examine pro facultate linguas classicas in gymnasiis docendi autumno anni 1880 ad tirocinia docendi ponenda Dresdam accessitus sum, ubi in gymnasio regio etiam nunc vicarii munere fungor.